# AD EXRELIGIOSOS
NOSTRI AEVI COMPLURES
# MONITA SALUTIS,
SIVE
# SERIA MEDITATIO
OMNIBUS, ET SINGULIS EXRELIGIOSIS PROPOSITA,

QUI ABSQUE GRAVI, ET RATIONABILI CAUSA MORANTUR IN SAECULO.

## OPUSCULUM
SICUTI EXRELIGIOSIS PRAEDICTIS VALDE APTVM,
UT RESIPISCANT, SIC RELIGIOSIS OMNIBUS PERUTILE.

UT CUM SPIRITUALI GAUDIO

**IN SANCTA RELIGIONE PERSEVERENT,**

*AUCTORE*

VINCENTIO PATRASSI

S. T. D., ET CATHEDRALIS AMERINAE BASILICAE
CANONICO POENITENTIARIO.






ROMAE

PRAESIDUM PERMISSU

1837

INCLYTO MINORUM INSTITUTORI

# DIVO FRANCISCO SERAPHICO.



Cogitanti mihi cuinam prae alio ex tot praeclaris sacrorum ordinum fundatoribus opusculum hoc dicare, et consecrare deberem, illico in mentem venit sanctum, ac venerandum tuum nomen, Francisce beatissime. Nam, ut silentio praeteream, quod amerina civitas peculiari religione semper te colere consuevit, quod plura, eaque non spernenda extant in eadem tui ordinis domicilia, quod vel ipse non semel tuae validissimae protectionis expertus sum utilitatem, ut haec, inquam, praeteream, alia mihi potissima causa occurrit, propter quam in meum patronum, et auspicem te eligendum, et suscipiendum esse putavi. Opus hoc, quod aggressus sum, instante, et efflagitante amantissimo filio tuo, simul et amico meo, qui modo in

sinu tuo quiescit; et pro me orare confido, (1) invidiae plenum est. Non deerunt plures, imo fortasse plurimi, qui sermonibus odii illud carpent, ac vellicabunt, imo et in meipsum, homunculum scilicet, misellum insurgent verbis iniquis, et maledictis. Scio, me uno verbo posse ab his, eorumque dicteriis expedire, respondendo scilicet cum apostolo „ *Inimicus vobis factus sum verum dicens* „ (2); attamen hinc mihi orta videtur necessitas adsciscendi patronum aliquem, qui me tueatur, nec non importunas adversariorum querelas ea, qua pollet, vi coerceat, atque cohibeat. Verum ubi patronum invenire potero te validiorem, o seraphice Francisce, qui utpote pater amplioris prolis plus quam caeteri sancti fundatores injuria affectus es a tot ingratis filiis, qui absque gravi, et rationabili causa e tuis claustris recesserunt? Hinc experientia compertum est, adversus istos te valde iratum esse, nec ullo temporis momento te eos laetos sistere pati, donec melius aliquando iter docti in rectam, a qua descivere, semitam revertantur.

(1) Franciscus a Verulo ord. minorum regular. observantiae missionarius apostolicus, qui dum sacris missionibus in dioecesi Balneoregii operam dabat, laboribus fractus, et attritus viam universae carnis non sine magna singularis virtutis opinione ingressus est die ultima januarii anni 1834.

(2) Ad Gal. 4, 16.

Verum quo libentius, sancte, ac seraphice pater, mihi faveas, patere, quaeso, ut sensus animi mei uberius patefaciam, et causam exponam, quae me ad hunc libellum conscribendum induxit. Mirabar olim quid sit, quod egredientibus quotidie e respectivo claustro pluribus religiosorum ordinum professoribus, nec non magna istorum turba pluribus abhinc annis in saeculo degente, nemo ex tot piissimis viris, quibus praedicti ordines florent, se iisdem palam objiceret, ac per devia incedentibus lumen, atque opem inferre conaretur. Ast admiratio omnis evanuit, dum, re maturius perpensa, intellexi, paululum, vel fortasse nihil proborum religiosorum interesse, claustrum derelinqui ab eis, quibus inhabitare in unum non bonum, et jucundum, sed potius grave, et molestum est. Hinc libenter sinunt eos abire, vel in saeculo jam diu degentes ad reditum non urgent juxta illud Augustini, qui ajebat „ *Maneant ubi possunt, et ubi volunt . . . nolo habere hypocritas* „ (1).

Quod si rem sub alio respectu perpendens judicabam, prout revera saepe mihi judicandum fuit, praedictos religiosos non ita libenter, imo aegre, et admodum aegre sentire recessum con-

(1) Serm. 355. alios 49 de divers.

fratrum, eo quia pro nihilo habuere consanguinitatem spiritus, quae juxta D. Ambrosium *tanto praestantior est consanguinitate corporis, quanto corpori praestat anima* (1) et quia communem matrem amantissimam, idest religionem dereliquere, hac quoque in hypothesi iisdem dissimulandum putavi, alioquin non modo pro domo sua certare, et suam causam tueri, sed etiam adversus fratres accusationem proferre, imo et ultionem alicujus generis quaeritare videbantur. Verum quamvis ita sentire de tali regularium silentio arbitratus sim, attamen non incongruum existimassem, virum aliquem extraneum hoc sibi munus assumere, de cujus mente cum nulla posset oriri suspicio; Exreligiosi nostri et facilius, et promptius ad bonam frugem revocarentur. Per viginti et amplius annorum spatium hunc praestolatus sum, sed spe me videns fraudatum, hujusmodi aggrediendi onus ego ipse consilium inivi, ego inquam, qui inter eos, qui de clero saeculari recensentur, sum omnium quidem minimus, sed desiderio illorum resipiscentiae nemini secundus, quod consilium nemo aequus extimator in me jure merito reprehendere poterit, nam sicut reli-

(1) Serm. 9.

quis hominibus, ita et mihi indictum est a Deo praeceptum recuperandi proximum juxta exiguam virtutem meam.

Haec igitur cum ita sint, jam in comperto est, Francisce beatissime, te ab hoc opusculo tuendo detrectare nullo modo posse, imo illius tutelam tibi necessario suscipiendam esse. Causa enim mea est simul causa tua, et adversarii tui erunt etiam adversarii mei quicumque demum hi sint, et cuicumque regulari ordini nomen olim dederint; omnes enim ordines aedificati sunt supra idem fundamentum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Hinc omnibus, et singulis Exreligiosis, qui absque gravi, et rationabili causa in saeculo morantur, aptari potest tremendum illud divinae scripturae „ *Non enim te abjecerunt, sed me* „ (1). Adversus igitur omnes istos non in gladio, hastà, et clypeo, sed verbo virtutis Dei mecum certare non dedigneris. Verum primo ex illa sublimiori sede coelestis Jerusalem, ubi frueris beatifica Dei visione, et fulges sicut sol inter sidera, impetra eisdem scintillulam illius seraphici ignis, qui te adhuc viventem incedit, et in miram Jesu Christi crucifixi ima-

(1) Reg. 8, 7.

ginem transformavit. Nisi haec scintillula e summo coelo effulserit, vanum ipsis erit hoc scriptum meum, vana ejusdem lectio. Sed mei quoque ne obliviscaris, pater sancte, te enixe oro, atque obsecro, imo me quoque adjuva tuis sanctis precibus, ut in omnibus meipsum exhibeam tamquam Dei ministrum, et quod fide profiteor, ipse bonis operibus jugiter impleam.

# PROELOQUIUM.

Quis mihi det tot fratres meos, et proximos meos, ceu pisces extra fluvium, et veluti oves non habentes legitimum pastorem, huc, illucque dispersos, et errantes iterum in unum congregatos videre, eisque toto cordis affectu cum gaudio gratulari ,,*Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum?* ,, (1). Quis mihi, inquam, det post plurium annorum lapsum, post tot discrimina rerum eos rursus intueri in vestitu deaurato, iisque omnibus, et unicuique eorum dicere. ,, *Quam pulcher es, dilecte mi, quam pulcher es! Confessionem, et decorem induisti amictus lumine, sicut vestimento*,,(2). Non ut confundam vos haec scribo, dilectissimi Exreligiosi, sed ut fratres meos charissimos moneam ,, *Est enim via, quae videtur homini recta: novissima vero ejus ducunt ad interitum* ,, (3). Aliunde vero ,, *Unicuique mandavit Deus de proximo suo* ,, (4). Non jam quod omnes, et singulos quotquot tunicam vestram exuistis, per hanc erroneam viam incedere crediderim; plures

(1) Psalm. 132. (2) Psalm. 103. (3) Prov. 16, 25. (4) Eccl. 17. 12.

quippe vestrum gravibus, et rationabilibus de causis mihi pro certo est clausuram reliquisse, sed quod inter vos plures quoque, imo plurimos existere, qui pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, vel ipse nimis vestri multiplicatus numerus evidenter ostendit. Ad hos igitur tantum (quod initio, progressu, et fine hujus dissertationis millies mihi repetere pro mente est) humillimam orationem meam converto, sed prius eorum provolutus pedibus non modo veniam peto, sed amplector genua, totusque a collo pendens perjucundam mihi faciem deosculor, dein omni posthabito humano respectu, et cupiens esse anathema pro fratribus meis formidabilem illam Christi Jesu sententiam eis meditandam propono ,,*Nemo mittens manum ad aratrum, et retro respiciens est aptus regno caelorum* ,, (1). Decretoria sane verba, fratres mei, ostendentia perseverentiam usque in finem in suscepta vitae ratione omnino vobis necessariam esse, tremendum breviloquium, ex quo vos non ambulare juxta vocationis vestrae tramitem, sed omnino extra viam esse, quae ducit ad vitam, clarissime eruitur, sententia undaequaque divina, quae viva, et efficax, ac penetrabilior omni ancipiti gladio pertingere debet usque ad divisionem animae, et spiritus vestri. Et revera beatissimus Franciscus in caelestibus illis, quas, divino afflante Spiritu, pro suis religiosis condidit, legibus haec habet ,, *Et nullo modo licebit eis de ista religione exire juxta mandatum domini papae, quia secondum sanctum evangelium, nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei* ,, (2).

(1) Luc. 9, 62. (2) In regula c. 2.

Haec igitur cum ita sint, humillimae orationis meae mihi jam vela contrahenda essent; ubi enim Deus locutus est, quid amplius rationes tametsi validissimas congerere laborem? Verum, quia adversarius vester Diabolus omnes adhibet conatus, ut mentem vestram perturbet, et quia nimius amor vestri gravia apparere facit, quae sunt caduca, et inania, levia vero existimat, quae sunt aeterna, idcirco abs re non erit hac super de causa longiorem texere sermonem, et veritatem de se luculentissimam in majori adhuc lumine collocare. Igitur injuriam maximam, quam Deo altissimo, cui mentiti estis, ecclesiae suae sanctae, quam inhonorastis, religioni vestrae, quam sprevistis, hominibus caeteris, quibus estis spectaculum facti, injuriam demum, quam vobismetipsis intulistis, qui a recto salutis tramite declinastis, meum erit vobis exponere. Dein, nonnullis praemissis, statutisque principiis, sive fundamentis, mihi sermo erit de variis illis causis, quibus vobismetipsis blandimini, posse tuto extra claustra morari, sicque plene etiam ad ea, quae mihi pro vestra parte objici possunt, responsurum confido. Vereor equidem ne vobis onerosus fiam verborum meorum acrimonia, neve odium incurram veritatis pronuntiatione: nam et quandoque aegri insurgunt in eum, qui ulcus etiam ad sanandum tangit; existimo tamen apud sapientem vos legisse „ *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oscula odientis* „ (1). *Hac igitur fretus ratione* non subtilia, sed utilia proponam, non diserta, et erudita, sed fortia, et efficacia, non quae aures mulceant, aut ungant, sed quae mentem

(1) Prov. 27, 6.

excitent, et pungant, munerisque sui commonefaciant. Neque erunt omnino mea, quae proferam, sed Spiritus sancti eloquia, et sanctorum patrum sententiae. Precor enixe Deum, ut exacuat, et dirigat calamum meum, quasi calamum scribae velociter scribentis, ut in tabulis cordis vestri dignum aliquid valeat exarare, itidemque rogo vos, ut animum mentemque erigatis; „ *desolatione enim desolata est terra*, *quia nullus est qui recogitet corde* „ (1).

(1) Jer. c. 12.

# PARS PRIMA,

## IN QUA DE MAXIMO REATU HOMINIS EXRELIGIOSI DISSERITUR.

## CAPUT PRIMUM

### DE INJURIA, QUAM EXRELIGIOSUS DEO INFERT.

Si Exreligiosus quisque serio, corde pacato, et mente omnibus vacua praejudiciis paucissima illa verba perpenderet, quae egredientia aliquando tamquam ignita fulgura ex ore principis apostolorum non modo sacrilego Ananiae flagitium suum exprobavere, sed illico abstulerunt ei vitam, non modo sibi in propatulo erit ingens illud piaculum, quo se faedavit, et Deum offendit, dum claustrum religiosum dereliquit, sed de pari quoque punitione sibi a Domino infligenda non immerito verebitur „ *Ananias*, (inquit Petrus gratia et Spiritu sancto repeletus) *cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto*, *et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat*, *et venumdatum erat in tua potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus*, *sed Deo* „ (1). Jam vero quantum haec apostoli objurgatio et ipsi congruat Exreligioso, breviter dignoscamus. Et primo memorandam illam diem paulisper revocemus, qua ad altare humillime pro-

(1) Actor. 5, 3.

volutus solemnem emisit professionem. Quid ergo tunc praestitit? Quales fuerunt hominis sensus? Probe intelligens cum apostolo, totum mundum in maligno positum esse, et quidquid in illo est, nil aliud quam concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitae praeseferre. „*Tu es Domine*, *inquit*, *spes mea*, *ibi posuisti refugium tuum* „ Et illico vota sua edidit in conspectu Domini, et quasi perpetuum holocaustum seipsum obtulit in odorem suavitatis. Holocaustum, inquam, perpetuum ex multiplicitate, imo universitate rerum oblatarum. Homo enim per illa tria vota non solum quidquid habet, sed etiam quidquid est Deo consecrat „ Unde Gregorius (1) „ *Sunt quidam*, *qui nihil sibimetipsis reservant*, *sed sensum*, *linguam*, *vitam*, *et substantiam*, *quam perceperunt*, *omnipotenti Deo immolant*, *et cum*, (pergit ibidem S. doctor) *quis omne quod habet*, *omne quod vivit*, *omne quod sapit*, *omnipotenti Deo voverit*, *holocaustum est*. „ Holocaustum itidem perpetuum ex sacrorum illorum ligaminum vi, et proprietate. Homo namque hisce se vinculis coarctans ictu oculi, momento temporis totam vitam suam Deo dicat, et consecrat. „ *Homo*, *inquit Angelicus non potest actu totam vitam suam Deo exhibere*, *quia non tota simul*, *sed successive agitur*. *Unde non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere*, *nisi per voti obligationem*. „ Holocaustum autem hujus generis, quod ex solemni scilicet professione ortum habet, ubi semel ab aliquo oblatum fuerit, compleri ab eo non potest ubique, sive in quocumque loco sibi magis arriserit, sed ex sanctissimis, et

(1) Homilia 20. (2) 2. 2. quest. 186. art. 6.

justissimis ecclesiae legibus omnino in sinu illius religionis, quam ille professus fuit, perficiendum est. Ecclesia siquidem a Spiritu sancto edocta sancivit, ut quicumque rite, et valide vota sua in religione approbata emiserit, eidem perpetuo adhaerere debeat, neque illi fas sit eam unquam relinquere, nisi forte, ut arctiorem amplectatur (1). Imo ex praedictis legibus obligatio perseverandi ita intrinseca est monastico statui, ac regularis cujuscumque instituti, ubi emittuntur solemnia vota, ita est propria, ut cadat et ipsa sub obligatione votorum, ac praecipue obedientiae, unde quicumque absque justa, et rationabili causa recedit a religione, votorum fractor censendus, ideoque apostata nuncupandus sit (2). Si igitur ita res se habet, si nempe Exreligiosus, ut vidimus, sese totum Deo peculiariter dicavit, si in quamdam ipse per solemnem professionem incidit captivitatem (captivitatem equidem gloriosam, nam servire Deo regnare est) quo jure, qua ratione, qua conscientia poterit e septis egredi monasterii, et ad saeculum nequam redire? Si ipse, ut rursus magni Gregorii magnificis verbis utar, si ipse, „ *omne quod sapit*, *omne*, *quod habet*, *omne*, *quod vivit*, *omnipotenti Deo dicavit* „ quomodo sibi fas erit absque gravissimi perjurii reatu, obligationem declinare inhabitandi in atriis ejus omnibus diebus vitae suae? Numquid taliter se gerendo irritum reddet judicium Dei, qui se declarat superbiam, viam pravam, et os bilingue detestari? Audiat divinum eloquium, et contremiscat „ *Si quid vovisti Deo*, *ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis*, *et stulta promissio*, *multoque melius est non vovere*, *quam post*

(1) Conc. trid. sess. 25 de ref. cap. 19. (2) Conc. trid. ibidem.

*votum promissa non reddere* „ (1). Unde Bernardus (2). „ *Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblata Deo reaccipere potestatem.* „

Ananias, infelix ille Ananias, de quo supra, non tam arctis sese vinculis obstrinxit. Ille non semetipsum totum, sed res tantum externas, pecunias scilicet Deo altissimo devovit, et quia ex his nonnihil sibi reservavit, en mendax inventus est in conspectu Domini, et verbis tam gravibus ab apostolo objurgatus. Qualis igitur, et quanta erit iniquitas illius, qui non solum quidquid habet, sed etiam quidquid est, Domino suo consecravit, dein vero mentitus est ei, nec fidelis habitus est in testamento suo? Proh quisquis ille est, magnum Gregorium audiat talia ad Exmonachum Venantium scribentem (3). „ *In quo habitu fueris, recole, et supernae districtionis animadversione proposita, ad quid sis delapsus, agnosce. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat, districtionem futuri judicii, dum vales, exhorresce, ne tu amaram sentias, cum jam nullis fletibus evadas* „. Quod si quis a concupiscentia sua abstractus, et illectus sibi suadere conaretur, ideo tantum pontificem adversus Venantium insurrexisse, quia uxorem duxerat, et magni cancellarii munere in Italia fungebatur, praeterquam quod parum refert, quod penes Deum hujus, vel alterius voti fractor quis adinveniatur, illico meminerit, Venantium illum de solemni emittenda professione, prout nunc a quolibet emittitur regulari, numquam cogitasse, ac tantummodo simplici voto perpetuo deferendi monachalem cocullam obstrictum fuisse. Culpa igitur Venantii tametsi gravis, in comparatione illius, quam perpetrat Exreligiosus,

(1) Eccles. 5, 3. (2) Epist. 353. (3) Epist. 53.

multo equidem levior. Quod si tamen hic urgeret, et conditionem suam a conditione Venantii longe distare per summam perfidiam contenderet, audiat iterum divinum oraculum ita penitus eum perstringens, atque jugulans „ *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate, et ore locutus es* „ (1). Edisserat hic Exreligiosus, quae fuerit ejus mens, quae animi dispositio, quae constans voluntas in illo temporis momento, quo disrupit vincula sua, et sacrificavit Domino hostiam laudis. Numquid forsan abeundi post aliquot annos a monasterio, et iterum saeculum amplexandi? Si hoc non modo nefas, sed et ridiculum est in ipso suspicari, utique necessario sequitur, quod emissum jnsjurandum undequaque servare debeat, sicuti in actu profitendi in animo habuit.

Age nunc et aliorum SS. patrum mentem, et sensus exploremus. Prodeat primo doctorum aquila Augustinus, qui haec habet. „ *Priusquam esses voti reus liberum fuit. . . . . nunc vero, quia tenetur apud Dominum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo* „ (2). Magno Augustino consonat Leo magnus, qui ita sententiam nostram confirmat „ *Ambigi non potest, crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio violatur; nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid iis manebit, qui corruperunt faedera divini sacramenti?* (3). Clarius adhuc se exprimit alter doctor magnus Basilius qui ita Exreligiosos perstringit (3) „ *Qui seipsum semel Deo devovit, hic si ad aliud deinde vitae genus transi-*

(1) Deut. 23, 23. (2) Epist. 53. (3) Epist. 92. (4) Regula 41.

*verit sacrilegii se scelere obstringit; quippe qui seipsum Deo, cui consecraverat, veluti superfuratus sit.* ,, Praestat denique audire et magnum Athanasium, qui ita loquitur. ,, *Scire debemus, et nequaquam ignorare, quod quaecumque promittimus Deo, non ea deinde nostra esse, sed Dei, et si inde quid defraudamus, ea non nos sumere tamquam nostra, sed ut Dei sacrilegia compilare?*(1) ,, Quid reponet Exreligiosus ad haec? Forsan tritum illud, quod habitus non facit monachum, et quod potest, salva religiosi status natura, extra claustra manere vi apostolicae despensationis sibi ob causas in actu solemnis professionis non praevisas elargitae? Verum haec non responsa alicujus ponderis, sed effugia esse nullius momenti inferius ostendam. Recogitet ergo in amaritudine animae suae criminis gravitatem, serio perpendat, cui vota sua deprompserit, bene consideret, non illum esse hominem sui similem, sed Deum, Deum scilicet, qui est alpha, et omega, principium, et finis, Deum, inquam, deorum, qui respicit terram, et facit eam tremere, qui tangit montes, et fumigant, Deum illum terribilem, qui aufert spiritum principum, terribilem apud reges terrae, ac proinde clamat regius psaltes. ,, *Vovete, vovete, et reddite* ,, (2).

Sed non solum Deus, ut potens, sed etiam ut sapiens impetitur a viro e suo claustro abeunte, ideoque jure merito dici potest, quod non solum potentia Patris, sed etiam sapientia Filii probro afficiatur. Ad cujus rei intelligentiam ad propositum revertamur, et objurgationem apostolorum principis rursus meditemur. ,, *Nonne manens, inquit, tibi manebat, et venundatum erat in tua*

(1) In passionem, et crucem Domini. (2) *Psalm.* 75, 12.

*potestate?* „ Tanto ergo gravius Ananiae scelus, quanto liberior in vovendo voluntas. Ast non eadem gaudebat libertate Exreligiosus noster, dum juravit, et statuit custodire judicia Jesu Christi Domini nostri? Christus utique Jesus, propter nimiam charitatem, qua dilexit homines, religiosum statum secundum saltem suam essentiam instituit, ut ipsi per hoc caeleste vitae genus renati non ex semine corruptibili, sed ex gratia ipsius, quae exsuperat omnem sensum, essent sancti corpore, et spiritu, sicque facilius aeternam salutem consequerentur. Sed non omnibus hominibus sacramentum hoc manifestare voluit, sed iis tantum, qui bonitatis ejus fieri vellent omnino conformes, unde bene interroganti adolescentulo, quid sibi faciendum esset, ut vitam consequeretur aeternam, mandatorum observantiam primo tamquam omnino necessariam, dein consiliorum executionem, sed undequaque ei liberam sapientissime proposuit. Si ergo omnino libere, et quidem ea libertate, quam Christus ei donavit, Ananias noster dona sua obtulit altissimo Deo, quomodo sibi fas erit aliquid ex iis furari, et surripere? Ergone patietur ipse sibi converti in perniciem, quod a Christo Domino in ejus utilitatem institutum est? Non reformidabit per eamdem viam, quae ducit ad vitam, ad perditionem festinare? Eo usque insaniet, ut iisdem mediis, quae Christus adinvenit, ut vitam haberet, et abundantius haberet, abutatur ad interitum? Proh scelus tanto profecto majus, quanto magis sapientiam Redemptoris nostri aenormiter laedit.

Sed divi Petri objurgatio adhuc in pleniori lumine collocanda „ *Cur*, *inquit*, *tentavit Satanas*, *mentiri te Spiritui sancto?* „ Ergo non solum potentia Patris, et

sapientia Filii, sed et virtus Spiritus sancti per summam, et maximam injuriam laeditur ab Exreligioso. Sed veritatem fateor: praefata apostolica verba mihi meditanti, et saepe saepius in animo revolventi flere magis libet, quam aliquid dignum disserere; scio enim crimina in Spiritum sanctum commissa adhuc graviora esse; scio peculiarem praeseferre malitiam, scio ad finalem impoenitentiam saepe saepius perducere, unde clamat apostolus „ *Nolite contristare Spiritum sanctum* „ (1). Posteaquam Spiritus iste beatissimus missus est in apostolos, factus est Dominus, sponsus, pastor, imo vita, et anima animarum nostrarum; hinc illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, replet cordis intima suorum fidelium, et omnes cujuscumque generis gratias quotidie elargitur. Ex gratia igitur sancti Spiritus motus fuit Ananias ad tam sublimem rerum suarum consecrationem, et Spiritus itidem sanctus religiosum nostrum in saeculo adhuc degentem excitavit, ut non respiceret in vanitates, et insanias falsas, sed Jesum Christum pauperem, et humilem in religione quaereret. Ipse fuit, qui eum eduxit in manu forti de terra Aegypti, et de domo servitutis, qui nubem expandit in protectionem ejus in die, et ignem, ut ei luceret per noctem, qui pane de caelo praestito, illum saturavit, atque cibaria misit ei in abundantia. Sicut aquila provocans ad volandum filios suos, ita Spiritus iste divinissimus expandit alas suas, et illum assumpsit, atque portavit in humeros suos. Quid plura? Spiritus sancti gratia factum est, ut ille *flos evaderet ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiae spiri-*

(1) Ephes. 4, 30.

*tualis*, *Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini*, *pars illustrior gregis Christi* ,, (1). Tot, tantisque gratiis cumulatus quas debuisset gratias referre? Ast obstupescite, caeli, super hoc! Nedum ille oblitus est munerum vere innumerabilium lucis hujus beatissimae, sed declinando votorum obligationem dixit in corde suo cum impiis illis apud Job. ,, *Recede a nobis*, *cum ille implesset domum ejus bonis* ,, (2). Quidnam hoc horribilius? Quid Spiritui sancto injuriosum magis? Quid divini ejusdem Spiritus justissimam iram provocans magis, atque ad ultionem impellens? Agnosce ergo, Exreligiose frater, culpam tuam, et quia circumdederunt te aquae usque ad animam, abyssus vallavit te, pelagus operuit caput tuum, surge quaeso, de profundis aquarum, et invoca Deum tuum. Clama, et ne clamare cesses: ,, *Ne projicias me a facie tua*, *et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (3). ,, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* ,, (4). Surge, inquam, et redde altissimo vota tua, tolle crucem, et sequere Jesum Chistum. Revertere, revertere, et noli amplius gratiae, et Spiritui sancto resistere. Memento, maximam fuisse injuriam, quam potentiae Patris, sapientiae Filii, et virtuti Spiritus sancti irrogasti, sed memento pariter offensum numen de facili placabilem esse, et licet Deus sit ultionum, misericordiam tamen velle, et non judicium, seque patrem misericordiarum dici gaudere, et Deum totius consolationis, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat.

(1) S. Cypr. lib. de hab. virg. (2) Job. 22, 14. (3) Psal. 50. (4) Psal. 142.

# CAPUT SECUNDUM.

## DE INJURIA QUAM ECCLESIAE SANCTAE DEI EXRELIGIOSUS INFERT.

Priusquam aliquid dignum disseram de injuria illa maxima, quam Exreligiosus affert ecclesiae sanctae Dei, abs re non erit mala illa gravissima, quae ab hostibus suis transactis mox temporibus passa est, et adhuc patitur ecclesia, breviter recolere. Nunquam, nunquam, ultro fateor, defuere in ecclesia impii, ac scelestissimi homines, qui sive palam, sive occulte eam gravissime persecuti sunt, sed generatio illa prava, et exasperans, quae post medietatem circiter elapsi saeculi ex ima abysso erupit, omnes omnino antecellere visa est. Non modo haec unum vel alterum dogma catholicae fidei, prout Luterus, Calvinus, Bucerus, aliique hujus furfuris homines, sed omnia prorsus, et singula impetere; imo non modo religionem catholicam, sed quamcumque christiani nominis religionem, sive potius sectam, nec luterana, aut calviniana equidem excepta, destruere molita est. Venite dixerunt ad invicem hujus perditissimae generationis scelestissima capita Voltaire, d'Alambert, Diderot, venite cogitemus contra Christum cogitationes, eradamus fidem ejus de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.

Porro ad destruendam ecclesiam haec diaboli membra plura, vel eo suggerente, cogitarunt, sed quod in primis meditati sunt, fuit universorum religiosorum or-

dinum plena, atque universalis subversio. Neque mirum. ,, *Causa quippe monachorum*, *inquit Bellarminus*, *cum ecclesiae causa ita est conjuncta*, *ut nemo unquam ecclesiae hostis fuerit*, *quin bellum eodem tempore monachis indixerit* ,,. Et revera quid aliud sunt religiosi ordines, nisi ecclesiae sanctae Dei praesidium, et decus? Quid quaeso regularia instituta, nisi tot catholicae religionis munimina, quae terribilia, ut castrorum acies ordinata, die, noctuque sive pugnant, sive vigilant pro ea? Recolantur tempora illa prisca infelicia equidem, sed quae nostrorum plane infelicitatem non attingunt, in quibus ariana haeresis tamquam pestifera labes ubique grassabatur. Quatuor amplissimae religiones contra eam insurrexerunt, antoniana scilicet, et basiliana in Oriente, benedictina, et augustiniana in Occidente. Contra eutichianos Sabbae abbatis discipuli, contra iconoclastas abbatis Jannicii asseclae prodiere. Post ruthenorum schisma damnum, quod passa est ecclesia, reparare aggressi sunt cluniacenses, camaldulenses, valumbrosani, et paulo post chartusiani sub Brunone, cistercienses sub Bernardo, praemonstratenses sub Norberto, qui tunc opportune apparuere, cum excitato a nicolaitis novo turbine, novo subsidio ecclesia egere visa est. Ast quid dicam de duobus praeclarissimis ecclesiae luminibus apostolico Dominico, et seraphico Francisco? Quid de tot haeresibus scilicet albigensium, circumcellionum, flagellantium, beguardorum, aliisque innumeris per fratres praedicatores, ac minores profligatis, atque convulsis? Nullus mihi esset dicendi finis, si haec omnia vel cursim attingere vellem. Denique constans semper fuit omnium sensus pontificio etiam confirmatus

oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis haereticis Ignatium, et institutam ab eo societatem objecisse.

Imo non modo regularium ordinum contra haereses perpetuo dimicare, sed orthodoxam fidem in longinguas, et efferatas gentes invehere semper fuit. Sic francos Remigius ad Christum convertit, svevios Martinus, anglos Augustinus, germanos Bonifacius, sassones Suitbertus, bohemos Cyrillus, daces Ascanius, polonos Adalbertus, omnes fere, si unum, vel alterum excipias, inclyti benedictini ordinis professores. Nemo nescit hybernos per Patritium, qui canonicorum regularium instituto nomen dederat, tartaros per religiosos praedicatores, persas praecipue per minores, Indiarum gentes per sanctum Franciscum Xaverium ecclesiae aggregatas fuisse. Quemadmodum scriptum est de apostolis, in omnem terram sonum eorum penetrasse, et in fines orbis terrae verba eorum, idem quoque dicendum de regularium ordinum professoribus, qui prout sunt in suscepto vitae genere apostolorum successores, ita eorum loco disseminandae, et conservandae fidei ecclesiae caelitus datos fuisse censemus.

Haec igitur omnia probe noscentes hostes ecclesiae, noscentes itidem christianam religionem sive omnino eversam fuisse, sive ab haeresi infectam esse in illis provinciis, a quibus religiosi coacti sunt exulare, nullum non moverunt lapidem, ut sacra regularia instituta in nihilum prorsus redigerentur. Ac primo quidem excitarunt reges, et principes terrae, ut vel e respectivis ditionibus religiosos expellerent, vel eorum monasteria diminuerent, vel juvenes de novo ingredi non paterentur,

vel census sibi arrogarent. Progressu temporis sub immani, et inaudita persecutione plures religiosi viri ludibria, et verbera experti sunt, insuper vincula, et carceres, alii vero tentati sunt, angustiati sunt, in occisione gladii una cum pluribus presbyteris saecularibus mortui sunt. Denique post varios casus, post multiplices eventus religiosis institutis semper adversos apparuit rex impudens facie, et intelligens propositiones, qui antiqua impiorum consilia exequendo, quasi leo rapiens, et rugiens, imo quasi aper exterminans cunctos, et singulos regulares ordines de medio tollere conatus est. Vidi impium superxaltatum, et elevatum, sicut cedros Libani: transivi, et ecce non erat, et non est inventus locus ejus. Tunc ecclesia aliquantulum respirare visa est, et claustralis vitae cultores huc, illucque vi immanis tempestatis dispersi ad pristinum statum, Dei opitulante gratia, revocati.

Si ergo tam acriter, tantaque vi insurrexerunt impii ad regulares ordines evertendos, non debent e converso illorum membra omnes impendere vires, ut furentes adversarii nunquam praevalere possint, ac valeant? Nonne apprehendere debent arma, scutum et gladium, et strenue adversus eosdem dimicare? sed proh dolor! Quot ex his, qui tempore gallicae invasionis coacti sunt e respectivis claustris discedere, postea experti in saeculo libertatis bonum, nec intelligentes cum apostolo, quod ,, *ubi Spiritus Dei, ibi libertas* ,, (1) variis emendicatis excusationibus, renuere ad castra reverti? Quot insuper lugendi sunt non modo de recentioribus, sed etiam de veteranis militibus, qui castra haec deserere adhuc pergunt in dies? Non deest profecto eos admonere S. mater

(1) Cor. 3, 17.

ecclesia: o vos, inquit, qui cupientes perfecti esse cum Christo eidem vometipsos vovistis, revertimini ad castra improperium ejus portantes. Revertimini, et ambulate, sicuti habetis formam patrum vestrorum. Quemadmodum hi contra veteres religionis, et fidei hostes pugnaverunt, feliciterque profligarunt, ita et vos, novo conflato agmine, impia novorum hostium tela confringite. Revertimini, et Christi mortificationem in corpore vestro circumferentes, vosmetipsos in omnibus praebete exemplum bonorum operum, ut luceat lux vestra coram hominibus, et hi qui ex adverso sunt et vereantur, et confundantur.

Haec, et similia eisdem meditanda proponit ecclesia; verum, cum frustra se clamare cognoscat, primo arctam obligationem, qua ipsi tenentur, sub oculis subjicit „ *Non enim qui incoeperit, inquit, sed qui perseveraverit usque in finem salvus erit* „ (1). Mementote, quod in faciem meam vota vestra edidistis; quare ergo testimonium meum ita contemnitis, ut pro nihilo illud habere videamini? „ *Misistis manum ad aratrum; non respicite igitur retro, ne indigni sitis regno coelorum. Nolite, ut canes redire ad vomitum: nolite commisceri huic saeculo, aut communicare operibus ejus. In manu vestra erat vota non emittere, sed non in manu vestra vota non implere. Ab his non exempti, ab his non soluti estis; quidquid ipsis contrarium egeritis, vobis reputabitur in peccatum, atque eo magis, quod spectaculum facti estis mundo, et Angelis* „ (2). Denique cum se nihil

(1) Math. 24, 16.

(2) Hannibalis card. de Genga postea Leonis PP. XII fel. record. epist. pastoralis ad clerum, et pop. senog.

proficere animadvertat suis consiliis, suasionibus, et precibus, ad minas confugit, et poenas, et censuras contra apostatas, et fugitivos a jure inflictas sub oculis ponit (1) ut, si ipsam pie monentem audire detrectent, saltem minantem, et percutientem vereantur. Frustra et haec. Quis ergo magnam injuriam, quam ab Exreligioso homine sancta patitur ecclesia, non agnoscit?

Hujusmodi vero injuria magis magisque augetur, si ejus considerentur effectus; plures religiones ita sunt exinanitae, ut uberes, quos antea christiana respublica perceperat, fructus, afferre amplius non valeant. Hinc plura monasteria adeo diminuta, ut in his regularis observantia amplius non vigeat. Hinc nonnulla alia omnino derelicta non sine ingenti christianae plebis detrimento. Unde ecclesia jure merito potest vocem extollere, et de his conqueri cum psalmista. „ *Amici mei, et proximi mei deliquerunt me* „ (2).

Neque objiciat hic Exreligiosus, ideo religiones exinanitas, atque imminutas fuisse, eo quod per triste lustrum nemo sacris institutis nomen dedit, et plures qui jam dedere nomen, sive migrarunt e vita, sive peregre profecti sunt. Hoc et ego quoque ultro fateor; non enim ille sum qui velim veritatem cognitam impugnare. Sed nihilominus non poterunt inficiari, id quod luce meridiana clarius est, sese quoque, quantum scilicet de se est, contribuisse sui ordinis imminutioni, ac decremento? Quinimo haec, quam ad suae desersionis excusationem afferunt causam, haec, inquam, eos magis urget, et injuriam, quam ecclesiae intulerunt, magis, magisque

(1) Cap. ut periculosa in 6. concil. trid. sess. 23. cap. 19.
(2) Psalm. 37. 12.

demonstrat? dereliquerunt scilicet religionem in tempore desolationis, et cum religio eorum ope ad bonum, et subsidium ecclesiae quam maxime indigebat. Sed de hoc fusius capite sequenti.

Neque reponat ultimo, nunquam ecclesiam confidere posse sibi tribuendum esse aliquid solatii, vel subsidii ab homine sive indocto, sive inhabili, sive alio quocumque vitio irretito, qualis est plerumque, qui sua sorte minime contentus septa monasterii reliquit. Derelinquat hic vias suas, corrigat suos mores, et ad religionem revertatur, eique, ut sibi fas est, inservire conetur. Religiones, ut vidimus, sunt acies ecclesiae, religiosus quilibet, velit, nolit, hujus aciei miles. Quemadmodum nequit miles, postquam militiae adscriptus est, illam deserere absque maxima sui ducis injuria, ita nequit religiosus, quicumque denique ille sit, religionem deserere absque maxima injuria sanctae matris ecclesiae.

# CAPUT TERTIUM

## DE INJURIA RELIGIONI SUAE AB EXRELIGIOSO IRROGATA.

Si ulla umquam extitit mater, quae justos fundere fletus, ac de ingratissimis filiis jure queri potuit, sibi vindicans illud prophetae ,, *Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* ,, (1); haec profecto illa sacra religio est, quae suos respicit alumnos desertores, ac degentes in saeculo. Ista siquidem, non secus ac terrena quaevis mater, illos genuit, aluit, instituit. Haec omnia breviter perpendere non pigeat, ut injuria, quam suae religioni Exreligiosus infert, apprime dignoscatur.

Ac primo quidem non praetereundum silentio ingens illud beneficium, quod ei impertita est religio, dum in suum membrum adoptavit. Tenebatur equidem charitatis legibus obstricta bonae spei adolescentis sacrum habitum enixe postulantis precibus indulgere; ast non ita tamen, ut opus ex charitate debitum non deberet hic acceptum referre. Quid vero, si juvenis rudis fuit, quid si non omnimoda praeditus valetudine? Attamen piissima mater religio nihili haec omnia fecit, omnia credidit, omnia speravit, omnia sustinuit, et ad solemnem professionem hujusmodi adolescentes admisit.

Solemni emissa professione, tota fuit ut in scientia sanctorum, ac in aliis humanis scientiis proficerent. Nullum non movit lapidem, ut suum munus sedulo adimplerent. Quot tulit labores in excutienda segnitie,

(1) Isaia 1, 2.



quot conatus emisit in expellenda ignorantia, quot curas toleravit in sublevanda infirmitate? eos arguit, increpavit, obsecravit. Admirabili charitati patientiam forte admirabiliorem adiunxit, ut vere docti, si voluissent, e scholis aliquando discederent. Uno verbo nonnisi mater ita misericors, qualis religio est, cum suis filiis ita se gerere poterat; nam et circumduxit eos de domo in domum, et docuit, imo et custodivit, quasi pupillam oculi sui. Edisserant interim eorum plerique, utrum in saeculo tam prompta sibi fuisset discendi via, utrum sibi iter tam facile, et paratum ad scientias comparandas? Quot perpetuo in ignorantiae tenebris pervoluti fuissent, eo quod extra religionem sive voluntas, sive facultas sibi defuisset studio litterarum vacandi? Quot durae cervicis, et hebetis ingenii fuissent perpetuo sacerdotii incapaces? Nonne igitur istis amantissimae matri, religioni scilicet, habenda, et referenda gratia est, a qua sola repetere debent, quod potuerint aliquando sacris initiari? Denique et illud memorandum, religionem, alteram ceu matrem victum, et vestimentum religiosis subministrasse. Addi etiam posset, quod nonnullis inter domesticas parietes vel ipse panis quotidianus defuisset, sed parum refert. Etiamsi in paterna domo iisdem licuisset voluptuose vesci, tamen simul ac maluerunt religioso pane enutriri, de eodem pane, imo de propria sua subsistentia debitores esse religioni clarissime patet.

His igitur breviter memoratis,edisserat mihi Exreligiosus, quale ipse sibi efformaret judicium de filio, qui postquam a matre enutritus, educatus, institutus fuit, matrem ope ejus egentem, ideoque prae doloris magnitudine edentem ploratus, et ululatus multos, temere

desereret? Nonne monstrum ille sibi videretur esse non tantum ingratitudinis, sed feritatis, et crudelitatis? Sed velit, nolit, ipse est homo ille. Ipse est, qui postquam incrassatus est, impinguatus, dilatatus, recalcitravit derelinquendo religionem matrem suam, et recedendo a claustro salutari suo. Injuria haec est, ni me fallunt omnia, quae mente concipi non potest, multo vero minus verbis explicari.

Et revera ex angelico praeceptore (1) tunc ingratitudo lethalem noxam praefert, cum, habito respectu ad personam benefacientem, aliquod grave omittitur, quod absolute praestandum erat, sive oppositum agitur illius rei, quae absolute praestanda erat. En ejus verba „ *Ingratus dicitur aliquis dupliciter: uno modo per solam omissionem, puta quia non recognoscit, non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto, et hoc non est semper peccatum mortale, quia, ut supra dictum est, debitum gratitudinis est, ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur, et ideo, si illud praetermittit, non peccat mortaliter. Est tamen peccatum veniale, quia hoc provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indispositione hominis ad virtutem. Potest tamen contingere, quod etiam talis ingratitudo sit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum, vel etiam* (N.B.) *propter conditionem ejus, quod subtrahitur, quod ex necessitate debetur benefico, sive simpliciter, sive in aliquo necessitatis casu. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non solum praetermittit gratitudinis debitum, sed etiam contrarium agit, et hoc etiam* (N.B.) *secundum conditionem ejus, quod agitur, quandoque est peccatum mortale,*

(1) 2, 2. quaest. 107. art. 3.

*quandoque veniale. Sciendum tamen, quod ingratitudo, quae provenit ex peccato mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem; illa vero quae provenit ex peccato veniali, imperfectam* „.

Ex sancto igitur Thoma plura hic perpendenda sunt, scilicet et benefactor contemptus, et id, quod fuit omissum, et id, quod erat praestandum. Si perpendatur benefactor, quis excellentior ea peramanti matre, qualis est religio? Si consideretur id, quod fuit omissum, quid gravius, quam talis, et tantae matris oblivio? Si demum perpendatur id, quod erat praestandum, quid majus, quam onus strictissimum inserviendi huic matri toto vitae suae tempore?

Onus, inquam, strictissimum. Etenim quid est aliud regularis professio, nisi verus, et formalis contractus ultro, citroque obligationem importans. Scilicet per eam religiosus totum se tradit religioni, eique tamquam matri perpetuo inserviendi obligationem incurrit; religio vero vicissim se obligat ad ipsum tamquam filium habendum, ideoque enutriendum, instruendum, conservandum. „ *Do, ut des* (inquiebat religio) *facio, ut facias* „ Jam vero religio suam adimplevit obligationem, idest filium suum enutrivit, instruxit, educavit, dedit, fecit; qua igitur ratione licebit huic e pacto resilire, seque ab omni eo subtrahere, quod ipsi de jure et dandum, et faciendum erat? Et nisi erit haec justitiae proprie, ac stricte talis violatio solemnis, quae unquam alia erit? Praedicat ipse ubique, et quotidie jus suum cuique tribuendum esse, vocitat injustos, quos noscit sibi debitores, suumque munus adimplere detrectant, ubi creditor existit, vult sive per fas, sive per nefas integre satisfieri; qua

ergo fronte poterit religioni, amantissimae scilicet matri suae, denegare quod ejus est, et absolute ad eam pertinet, quodque sibi, si in pari foret conditione, vellet omnino tribuendum.

Ex divi Thomae doctrina superius exposita augetur haec injustitia, si tempus, in quo perpetratur, aliaeque etiam circumstantiae bene perpendantur. Postquam malignatus est inimicus in sancto, ac destruere conatus est omnes sepes ejus, religio quaelibet, ut jam in anteriori capite adnotavimus, non parum passa est detrimenti. Fratres superstites, attenta religiosorum inopia, nesciunt quandoque quomodo hoc, vel illud valeant agere munus, expedire negotium, replere locum, prospicere rei. Cuicumque regulari ordini plus, minusve imminuto aptari potest illud Profetae ,, *Haereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos* ,, (1). Licebitne ergo religioso filio matrem suam in tali, tantaque constitutam necessitate derelinquere eo ferme tempore, quo ejus adjutorio magis, magisque indiget? Nonne hoc est convertere ei in summum dolorem gaudium illud, quo affecta est, dum post immanem tempestatem sibi licuit huc illucque dispersos filios iterum in unum congregare? Nonne poterit jure merito clamare ,, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* (2): *filios enutrivi, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me?* (3)

Neque putet Exreligiosus vir ab hac injustitiae nota se eximere, eo quod respectivi procuratoris generalis voto, ac consensu e religione resiliverit. Non inquam sibi blandiatur de hujusmodi turpi nota ea de

(1) Thren. 5, 2. (2) Isaiae 38, 17. (3) Ibid. 1, 2.

causa effugienda; etenim semel ac agnovere superiores suam declinandi voluntatem, semel ac eisdem comperta fuit prava illa dispositio projiciendi post tergum vota sua, satius judicarunt ejus genio indulgere, quam ipsum sic invitum retinere in monasterio. Audiatur vel inter ipsos procuratores generales facile primus D. Aurelius Augustinus, qui ita rem declarat (1) „ *Certe ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: ut si vellet discedere a proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctae societatis promissum, coeptumque consortium. Ecce in conspectu Dei, et vestro muto consilium: qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, et ecclesia ejus, maneant ubi volunt, et ubi possunt; non eis aufero clericatum. Nolo habere hypocritas; malum enim est, quis nesciat? malum est cadere a proposito, sed pejus est simulare propositum. Ecce dico, audite: qui societatem communis vitae, quae laudatur in actibus apostolorum, deserit, a voto suo cadit, et a professione sancta cadit. Observet judicem, sed Deum, non me. Ego non aufero ei clericatum. Quantum sit periculum, ante oculos ejus posui; faciat quod vult. Novi enim, quia si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt suffragatores, et hic, et apud episcopos, qui dicant: quid mali fecit? non potest tecum tolerare istam vitam, extra episcopum vult manere, et de proprio vivere; ideone debet perdere clericatum? Ego scio quantum malum sit profiteri sanctum aliquid, et non implere. „ Vovete, inquit, et reddite Domino Deo vestro, et melius est non vovere, quam vovere, et non reddere .... Ergo*

(1) Serm. 335 alias 49 de divers. cap. 4. n. 6.

*professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem, professus est quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum, si ab hoc proposito ceciderit, et extra manens clericus fuerit, dimidius et ipse cecidit. Quid ad me? Non eum judico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit, si vero intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi. Scio quomodo homines ament clericatum: nemini eum tollo nolenti mecum communiter vivere. Habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci a Deo per ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem, sed videat, utrum habere possit felicitatis aeternitatem.*,, Hactenus Augustinus.

En igitur, Exreligiose mi charissime, ex D. Augustino detecta ratio, ob quam tuus generalis procurator tibi renuere non est ausus. Quid inde? Nunquid tibi remisit religionis nomine obligationem semel contractam eidem inserviendi toto vitae tuae tempore? Minime sane; imo gemitibus inenarrabilibus una simul cum religione luget tui jacturam. Haec talis, tamque honorabilis mater a te se queritur offensam, expostulat laesam. Laesa tamen non provocat, sed spreta te revocat, sic ostendens de se scriptum esse, quod scriptum est de charitate ,, *Charitas patiens est, benigna est* ,, (1). Licet laesa, licet offensa obviabit tibi quasi mater honorificata. Contemptus oblita sui ruet in amplexum tui gaudens, quod, qui perierat, repertus sit, et, qui mortuus erat, revixerit.

(1) 1. ad cor. 13, 4.

# CAPUT QUARTUM.

## DE INJURIA, QUAM EXRELIGIOSUS INFERT PLEBI CHRISTIANAE.

Quod apostolus corinthiis scribens alte innuebat „ *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros,* (1) id sibi dictum ecclesiastici omnes teneant, sed praecipue, qui inter eos majorem debent praeferre sanctimoniam. Ipsi enim sunt sal terrae, ipsi lux mundi. Si igitur hi, per quos sunt condiendi quodammodo populi, caelestiumque virtutum splendore illuminandi, a recta veritate deficiant, quomodo sibi fas erit commisso munere fungi? „ *Qui in erudiendis, inquit S. Isidorus*, (2) *qui in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis praeerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correctus ingerere: ante doce te, quae recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus et doctina, et opere provocare.* „ Similia omnino habet Chris. (3). *Sacerdos debet habere vitam ita compositam, ut omnes in illum veluti exemplum excellens intueantur; idcirco*

(1) 2, ad corint. 6,2. (2) L. 1. offic. c. 31. (3) Hom. 10 in ep. ad Timot.

*enim nos elegit, ut simus quasi luminaria, et magistri caeterorum.*„ Et revera, si Christus ab omnibus omnino hominibus perfectionem exigit celeberrimo illo effatu. *Estote perfecti, sicut pater vester caelestis perfectus est* (1). *Si viris ipsis in plebe positis, inquit Salvianus,* (2) *tam perfectam regulam dedit, quantum illos perfectos esse jubet, a quibus omnes docendi sunt, ut possint esse perfecti?*

Haec igitur cum ita sint, quid quaeso de vobis dicendum erit, Exreligiosi fratres, qui in religione vestra constituti a Domino quasi luminaria, et magistri Christi fidelium illam temere dereliquistis? Nonne animadvertitis, quod, ea derelicta, spectaculum facti estis non modo Deo, et Angelis, sed etiam hominibus. Quid, inquiunt isti, quid vobis cum saeculo, cui renuntiastis, quid cum domo patris vestri, cujus estis obliti, quid cum saecularibus negotiis, e quibus vos abdicavistis? Funes ceciderunt vobis in praeclaris, et nunc opibus inhiatis terrenis? Vovistis omnia arbitrari, ut stercora, ut Christum possetis aliquando lucrifacere, et nunc, voluntate conversa, vultis divites fieri? morabamini aliquando sub obedientia in cellulis vestris, ubi vel in solitudine tacebatis, vel loquentibus nonnisi corona fratrum circumstabat, et nunc, jugo excusso, domos extraneas de facili ingredimini, imo transitis etiam de domo in domum? Saccus erat vobis pro habitu, et funis pro cinctorio, et nunc mollibus etiam induimini? O quomodo abscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum! Quare non iterum congregamini, o lapides dispersi?

(1) Math. 1. 48. (2) Lib. 2. ad eccles. cath.

Talia profecto, et similia, ac etiam graviora loquitur mundus de Exreligiosis. Nonne igitur gravis, et valde gravis erit injuria existimanda, quam hominibus inferunt? Etenim nil magis efficax, quam aliorum exemplum, ut quis sive ad ignem, sive ad aquam porrigat manum suam; ubi autem hoc exemplum egredietur a senioribus populi, et ab his, qui sive ob dignitatem, qua eminent, sive ob statum, quem elegerunt, aliis antecellunt, peculiarem habet suadendi virtutem, nisi dicere velimus quamdam praeseferre imitandi necessitatem. Hinc colligi potest, quam exitiale sit, quam damnosum plebi depravatae, et ignarae nostrorum Exreligiosorum exemplum „ *Ignobilium delicta, inquit D. Joannes Chrisost.* (1) *si in medium prodierint, neminem insigniter laedunt; ast hi, qui in istius dignitatis fastigio positi sunt ... si tantillum peccaverint, parva illorum peccata magna aliis videntur; neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum omnes metiuntur.* „ Similia fere D. Gregorius (2) „ *Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus praejudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernat.* „ Et revera reprehendatur quis de nimio suo affectu erga mundum fallacem, et transitorium, nonne illico reponet, majori affectu rapi Exreligiosum, quamvis olim in monasterio se consepeliverit, ibique juraverit, se mundum amplius non dilecturum. Hortetur alter adolescentem, ut ad religionis portum confugiat, nec in vacuum recipiat Dei vocantis gratiam, illico respondebit, se deterreri tot egressorum exemplo. Dic avaro, ut frangat esurienti

(1) Lib. 3. de sacerd. cap. 11. (2) Hom. 17 in Lucam.

panem suum, ut misereatur pupillo, ut subveniat oppresso, et statim ad hominem te remittet ex professione pauperem, sed divitem ex malitia, a quo egeni, et pauperes verbis, et non opere sublevantur. Denique mone alterum, ut mores corrigat, vitae genus mutet, honestius ambulet, hic pariter tot Exreligiosos opponet, quorum vitae genus neque calidum, neque frigidum, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio ad Deum sine religione, quos denique vix gehennae metus inhibet, vix pudor cohibet, vix fraenat ratio, vix disciplina coercet.

Prava hujusmodi exempla, audio mihi objicientem, respiciuntur etiam in presbiteris saecularibus; quare ergo me singulariter reprehendis, cum et in aliis, et potissimum in teipso videas, quod justius reprehendere possis? Atqui cum D. Bernardo repono: „ *propter singularitatem erroris tui, propter immanitatem peccati tui. Nam etsi plerique alii perdite vivant, etsi inordinate, et indisciplinanter vivant, nondum tamen ordinem, aut disciplinam professi sunt. Sunt quidem peccatores, sed non praevaricatores. Tu vero quantumlibet honeste, et modeste vivas, si caste, si sobrie, si omnino religiose te habeas, Deo tamen minus accepta est religio tua, quam deturpat voti praevaricatio. Idcirco charissime, ne tuis coetaneis te compares, a quibus professio separat* „ (1). Quid reponet Exreligiosus ad haec? Quemadmodum ergo ex D. Bernardo vel aliquantula tantummodo sacrorum illorum ligaminum fractio peculiarem quamdam importat malitiam, quae neminem ex saecularibus presbyteris (excepto voto castitatis) vel leviter tangit, sed nec tangere

(1) Epist. 2.

potest, ita malitia hujusmodi, dum innotescit plebi christianae peculiarem illi infert injuriam, quae jure merito debet redargui. Et sicuti regularis, caeteris paribus, vi emissae, professionis majori nisu, quam sacerdotes saeculares tendere debet ad perfectionem, ita eorum crimina majorem praeferunt deformitatem, quae Christi fideles peculiariter laedit. Dein sint plures, imo plurimi inter saeculares presbiteros, quorum vita lubrica, et perditissimi mores, inter hos ego sim primus, ingenue fateor, et flens dico, meminerint tamen Exregulares, adducere inconveniens, ut vulgo dicitur, non esse solvere argumentum. Non igitur ex hoc capite illi minus redarguendi, vel injuria, quam hominibus inferunt, non minoris ponderis est existimanda.

Age, et quae majoris sunt ponderis, breviter perstringamus. Eo pervenit iniquitas temporum, ut os peccatorum, et impiorum super ecclesiae, et sanctuarii ministros apertum sit. Eos persequuntur lingua dolosa, circumdant sermonibus odii, et ubi in aliquam vel minimam culpam agnoverint incidisse, eos traducunt tamquam gravissimi sceleris reos. Hujus furfuris homines vix suspicari possunt, Exreligiosum non bonum sui specimen praeseferre, illico clamant, ex hujusmodi plantis nonnisi tales fructus oriri potuisse; impossibile omnino esse, ut honestam in saeculo degat vitam, qui male se gessit in claustro; atque hinc arbitrantur posse se jure merito in ipsum *Exfratris* nomen, et statum insurgere, et probro habere. Ex hominis contemptu facilis est via ad contemptum doctrinae, et quemadmodum vitae genus longe distat ab aequo, et justo, ita ejus doctrina creditur a vero aberrare. Quaenam, quaeso, blaterant,

a nobis exigenda est ratio promissionum illarum, quas inscii omnino, et ignorantes in baptismo edidimus, dum hi contemnere ea sacra ligamina non reformidant, quibus volentes, et consentientes sese ultro obstrinxere? Numquid nobis tantum scriptum est. ,, *Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* ,, (1). Numquid ad illos non pertinet aliud. ,, *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei?*.,, (2) Ergo vel ipsi sunt infirmi in fide, vel fides, quam extollunt, aliquam patitur exceptionem.

Hi sunt sermones, quos teste Bernardino senensi, vel ad invicem, vel saltem intra sese conferunt impii ,, *Considerantes, inquit sanctus*, (3) *considerantes cleri sceleratam vitam, ex hoc vacillantes, imo multoties deficientes in via non credunt, quod illa, quae de nostra fide scripta sunt sint, vera, sed scripta fuerint non Deo spirante, sed humana, et deceptoria inventione, clavium virtutem non credunt, ecclesiae Sacramenta despiciunt, animam esse non putant, vitia non evitant, virtutes non reputant, non horrent inferos, caelestia minime concupiscunt, sed transitoriis cordialiter inhaerentes hoc saeculum statuunt sibi paradisum.*

Audite ergo, fratres charissimi: propter vitia sacerdotum Dei sanctuarium destitutum est. Ita quondam lamentabatur Hyeronimus (4), et an haec eadem quaerimonia ad plures nostri aevi sacerdotes, et ad vos singulariter referri quoque possit, ac debeat, vel ipsi vos judicate. Nemo vestrum se seducat inanibus illis verbis ,, *sufficit mihi conscientia mea, non curo, quae loquantur*

(1) Math. 24, 13. (2) Luc. 9, 62.
(3) Serm. 19 in fer. 2 post dom. 2 quadrag. (4) Epist. 48.

*homines.* „ *Si dixeris*, *inquit doctor maximus S. Hyeronimus*, *sufficit mihi conscientia mea*, *non quae loquuntur homines*, *audi apostolum scribentem: providentes bona non solum coram Deo*, *sed etiam coram hominibus*„(1). Audite, rursus apostolum ite scribentem ad thessalonicenses (2) „ *Ab omni specie mali abstinete vos* „. Deus elegit vos ex omni carne, ut eatis, et fructum afferatis: quid ergo, si abominabilem fecistis decorem vestrum, et pro uvis lambruscas, imo spinas germinastis? Quid si iis extitistis auctores mortis quos vos ducere ad vitam oportebat? Quid si vineam Domini Sabahot conculcastis, dejecistis, exterminastis? Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant fructum tempore suo. Vae mundo a scandalis, sed etiam vae homini illi, per quem scandalum venit (3).

(1) Ad rom. 12, 17. (2) Cap. 5, 22. (3) Math. 18, 7.

## CAPUT QUINTUM.

### DE INJURIA, QUAM EXRELIGIOSUS HOMO SIBIMETIPSI INFERT.

De injuria denique verba facturus, quam sibimetipsis inferunt Exreligiosi, satis esset fortasse, quae hactenus dicta sunt, breviter recolere, ac dein illud psalmistae subjungere „ *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* „ (1). Sed volo rem adhuc medullitus inspicere, ideòque hujus injuriae gravitatem ex aliis quoque capitibus demonstrare.

Jam superius dixi, professionem religiosam verum praeseferre holocaustum. Quis autem, etiamsi linguis hominum loqueretur, et Angelorum, hujus holocausti excellentiam prae merito extollere posset? Magnum sane videbitur, si illud martyrio comparare ausim; sed da mihi religiosum, qui vere custodiat et mandata, et leges, et caerimonias proprii instituti, et hunc non modo martyribus comparandum, sed etiam multiplici martyrio coronatum praedicabo. Et revera juxta D. Bernandum martyrium est voluntaria paupertas; (2) per eam quippe homo moritur mundo, ac ejus divitiis: martyrium juxta S. Theodòrum Studitam est perfecta obedientia, nec non propriae voluntatis abnegatio; (3) illa siquidem est, quae nos immolat Deo in odorem suavitatis: martyrium est paenitentia juxta D. Joannem Chrysostomum; cruciat enim corporis membra, quae peccato inservierunt: marty-

(1) Psalm. 10, 6. (2) Serm. 1 in fest. omn. SS. (3) Serm. 25.

rium juxta D. Ambrosium est castitas; (1) per eam quippe crucifigitur caro cum omnibus concupiscentiis suis: denique vel ipse recessus a saeculo juxta D. Hyeronimum (2) est martyrium; nam per eum mundus crucifixus est religioso, et religiosus mundo. Religiosus ergo non modo martyr, sed plusquam martyr, imo multipliciter martyr percensendus, quia non tempore persecutionis, sed pacis, non brevi intervallo, sed per totum vitae suae cursum martyrium subire non reformidat, eo quod mortificatur tota die, et existimatur sicut ovis occisionis. Sed dico; numquid martyr ille censendus erit, qui ad tempus fidem professus, in tempore postea tentationis recessit, turpiterque: deseruit? Non modo inter martyres boni religiosi sed (mirabile dictu) inter apostolos quoque, inter patriarchas, inter Angelos, imo inter ipsos Cherubim, ac Seraphim recensendi sunt. Ac inter apostolos primo, quod eorum exemplo reliquerunt patrem, matrem, et agros propter nomen Christi, et secuti sunt eum: inter prophetas, quia, ut olim prophaetae, sive sedent solitarii, et tacent, sive quasi tuba exaltant vocem suam, et annuntiant populo Dei scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum: inter patriarchas, eo quod et ipsi patres sunt magnae prolis, imitatores eorum simplicitatis, haeredes illorum fidei: inter Angelos, quia vitae genus ducunt angelicum, et Angelorum more die, ac nocte requiem non habent, sed tribuunt sedenti super thronum gloriam, et honorem, et benedictionem: denique inter Cherubim, et Seraphim, quia diligentes Deum tota anima, tota mente, totis viribus seraphicis ardoribus interdum replentur, nullaque omnino res

(1) Hom. 30 in Evang. (2) Epist. 27 in Ephita. Paulae.

test eos separare a charitate Christi, immo omnia arbitrantur, ut stercora, ut Chistum lucrifaciant. Ita Chris. (1) ita Bernardus, (2) ita Bonaventura (3). Ab eorum textibus referendis, ne longior sim, supersedeo.

Videant ergo Exreligiosi, qualem, et quantam recedendo a claustro patiantur ipsi jacturam, ac per consequens quanta semetipsos injuria prosequantur. Haec autem longe major apparebit, si discrimen illud maximum perpendamus, quod inter primaevam suam conditionem, quam amiserunt, et novam, quam assumpserunt, consideremus.

Quid quaeso dicendum de homine, qui in portu quiescens, caelo fulgurante, et tonante, undis furentibus, et horrida tempestate undequaque fervente, vellet se procelloso mari committere? Quid inquam de illo, qui in arce firmissima constitutus, hostibus infensissimis eam undique invadentibus, in apertum campum vellet properare? Quid denique de eo, qui felici gaudens libertate gratis se in servitutem daret? Jam vero religiosi, qui e claustro recessere, non aliam equidem, nisi istorum tristem referunt figuram. Et revera quid est aliud hoc saeculum nequam, nisi mare fervens, in quo plures naufragium patiuntur, quid nisi praelii campus, in quo tot devicti interficiuntur, quid nisi domus servitutis, in qua tot miserrime pereunt? Aperiantur sacrae paginae, vel ipsa quoque naturalis ratio consulatur, illico apparebit quam exiguus in saeculo electorum numerus, quam facilis descensus ad inferos. E converso „ *Est facilis, inquit D. Bernardus,* (4) *via de cella ad coelum; mo-*

(1) Hom. 13 in Math. (2) Serm. 27 de diversis.
(3) Lib. de eccl. hier. c. 2. (4) Tract. de vita solit.

*riens enim vir umquam aliquis e cella infernum descendit, quia vir umquam nisi e coelo praedestinatus in ea usque ad mortem persistit* ,, Similia habet D. Laurentius Justinianus religionem considerans veluti januam paradisi(1) ,, *Illius coelestis civitatis iste est introitus; magnum quippe electionis indicium est hujus fraternitatis habere consortium.* ,, Rationem affert D. Joan. Chrisostomus (2) ,, *Impossibile est mentiri Deum. Promiserat ille vitam aeternam ista relinquentibus. Tu reliquisti omnia ista; quid igitur prohibet de hujusmodi promissione esse securum.* ,, Quod si quis hic objicere vellet, et iis, qui mundum reliquere, et religionem amplexati sunt valde contendendum esse, ut vitam tandem consequantur aeternam, quanto magis, subdo ego, illis contendendum erit, qui religionem ingressi eam reliquerunt, et saeculum rursus amplexati sunt?

Veritas haec adeo clara, adeo luculenta est, ut ulterioribus non egeat probationibus. Quid enim aliud importat sacer religiosus status, ut verbis utar theologorum severitatis minime suspectorum (3) nisi arctissimam obligationem, per quam religiosus tenetur semper totis viribus, magnoque studio perfectionem curare? Quid sibi vult sacra religiosa professio, nisi novas in corde suo ascensiones disponere, ire de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion? Jam vero poterit sibi Exreligiosus suadere de perfectione demum assequenda, qui ab ejusdem via tam enormiter declinavit? Qui in mundanis negotiis, et saecularibus curis libens, et volens se rursus immiscuit? Qui, carne Aegypti

(1) Cap. 7 de discipl. monastic. (2) Lib. de provident.
(3) Salmaticen. tr. 13 art. 2. n. 16.

ac caepas, et alia hujus generis inania, fastidiens panem suavissimum de caelo praestitum, miserrime appetiit. Hocne erit ad perfectionem iter planum, et tutum? „ *Haec meditare*, *clamabat apostolus*, *in his esto*, *ut profectus tuus manifestus sit omnibus* (1). Unde S. Augustinus „ *Semper tibi displiceat quod es*, *si vis pervenire ad id*, *quod nondum es. Si autem dixeris*, *sufficit*, *periisti . . . Semper adde*, *semper ambula*, *semper profice . . . Noli in via remanere*, *noli retro redire*, *noli deviare. In hoc quippe mundo*, subdit D. Gregorius (2) *humana anima uno in loco nequaquam stare permittitur*, *quia ad ima relabitur*, *nisi ad summa conetur.* Et D. Bernardus (3): *Non proficere sine dubio deficere est* „ Jam vero, an ambulet, qui incoeptum iter reliquit, an proficiat, qui media via deficit, an ad summa conetur, qui ad ima descendit, neminem arbitror esse, qui luce clarius non videat. Ad hanc enervandam ineluctabilem veritatem reponant necesse est Exreligiosi, sibi quoque licere ad perfectionem tendere in medio saeculi; habitus enim non facit monachum; Excucullatus ergo potest adhuc observare votorum substantiam. Ast liceat hic mihi sciscitari, utrum haec votorum observantia sit vel in ipso claustro ardua suapte natura, et difficilis, an vero facilis, et plana. Si dixerint planam, et facilem, inutilia prorsus, et excessivi timoris plena dicenda sunt saxa Hjeronimi, Benedicti vepres, Francisci nives „ *Periclitatur*, inquit Bernardus, (4) *castitas in deliciis*, *humilitas in divitiis*, *pietas in negotiis*, *veritas in multiloquio*, *charitas in hoc saeculo nequam.* „ Si dixerint difficilem, poteruntne ipsi in medio mundi, ubi scilicet

(1) 1. ad Tim. 4, 3. (2) Past. p. 3. cap. 34. (3) Epist. 38.
(4) De bono religionis.

tot se offerunt occasiones, tot pericula labendi, et ubi divinae gratiae auxilia timeri possunt, ac debent imminuta, poteruntne, inquam, leviorem, et faciliorem quam inter sepes, et munitissimas claustri arces reputare? Ad hoc, intelligant ipsi aliquando, ad hoc sanctissimi religionum institutores plura coelitus adinvenere, quae alumnis suis omnimode observanda proponunt, scilicet preces, jejunia, silentium, sensuum custodiam, segregationem ab omnibus mundi illecebris, ac omnium insuper fere virtutum exercitium, ut votorum jugum suave fieret, et onus leve. Et revera religiosus effingatur non in medio saeculi, sed in medio claustri degens, qui has negligat saluberrimas leges, illico hujus, vel alterius voti sacrilegus fractor invenietur. Jam vero ipsi valedixerunt monasticis exercitationibus, quia taedio eos afficiebant, mundanis negotiis sese implicavere, quia eos pressit auri sacra fames, jugum excusserunt obedientiae, quia sibi intolerabile videbatur; quomodo igitur in saeculo constituti sarctam, et tectam servare poterunt votorum substantiam? Valebuntne ipsi componere cum praesenti statu religionis perfectionem, quae tota juxta doctorem seraphicum in voluntatis propriae abnegatione consistit? Proficient insuper de die in diem, ibunt de virtute in virtutem, uno verbo, eorum profectus erit omnibus notus, ut clamat apostolus, conabuntur ad summa, ut vult Augustinus? Veritas haec tanti ponderis mihi videtur, ut nulla possit solida ratione confutari. Necesse quippe foret, ut Exreligiosi tot se munirent praesidiis, tot adhiberent cautelas, non solum ad declinandam votorum violationem, sed ad perfectionem, ut talem, quae in charitate sita est, assequendam, ut eorum vitae genus

sanctum ubique, prout scilicet patitur humana conditio, et foret, et videretur, quod in Exreligiosis nostris non modo non cernitur, sed vel eo ipso, quod absque gravi, et rationabili causa e religione resilivere, ea prominet morum relaxatio, ut cuncto populo scandali, ac murmurationis causa efficiantur. Quid ergo inferendum, nisi tali egressu aditnm ad salutis portum sibi interclusisse, ideoque majorem non potuisse sibimetipsis injuriam inferre?

Vide ergo, Exreligiose frater, quam necessarium tibi sit in incoepto vitae curriculo perseverare „ *Non qui incoeperit, ait Dominus, sed qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit* (1). Quod si adhuc haeres, audi divinum oraculum, et contremisce „ *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei* „ (2) Insuper illud aliud. „ *Memores estote uxoris Lot* „ (3). Audi rursns D. Bernandum nomine ejusdem Christi te alloquentem, dum Fulconem quemdam adolescentulum alloquitur, quem avunculus blandimentis, et promissis ex ordine canonicorum regolarium ad saeculum retraxerat „ *Tu puer*, inquit Christus, *si assenseris, si acquieveris, morte morieris. Memento uxoris Lot de Sodoma quidem ereptae, quia Deo credidit, sed in via mutatae, quia retro aspexit. Disce in evangelio, quod non licet retro respicere ei, qui semel manum ad aratrum misit. Avunculus tuus quaerit animam tuam, quia jam perdidit suam. Verba oris ejus iniquitas, et dolus. Noli intelligere, fili mi, ut male agas, noli intendere in vanitates, et insanias falsas. Ecce in via, qua ambulas, abscondit laqueos, tetendit retia. Molliti sunt sermones*

(1) Math. 24, 15. (2) Luc. 8. 62. (3) Luc. 17, 32.

*ejus super oleum; ipsi sunt jacula. Vide, fili mi, ne capiaris a labiis iniquis, et a lingua dolosa . . . . Cave, inquam, fili mi, ne acqniescas carni, et sanguini, nam gladius meus devorabit carnes. Sperne blandimenta, contemne promissiones. Promittit magna, sed ego majora, offert plura, sed ego plurima. Dimittes pro terrenis coelestia, pro temporalibus aeterna, alioquin oportet, te solvere vota tua, quae distinxerunt labia tua. Juste exigitur ad solvendum, qui non cogitur ad vovendum. Nam etsi cum pulsares, non repuli, tamen, ut intrares, non compuli. Non licet ergo dimittere, quod sponte promisisti; non est fas requirere, quae per te dimisisti* ,,.

Sed quoniam huc evasit sermo noster, ac de infelici Lot uxore verbum fecimus, memoremus pariter pro hujus capitis coronide horrendam punitionem illius Ananiae, quae huic nostrae meditationi initium dedit, quamque veluti divinae ultionis spectaculum meditandum proponit D. Gregorius Exmonacho Venantio ,, *Teste evangelio*, scribit ad illum S. Doctor, (1) *scis, quia divina severitas de otioso sermone nos arguit, et de verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo quid factura sit de perverso opere, si quosdam in judicio suo reprobat de sermone. Ananias pecunias Deo voverat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit. Sed qua morte mulctatus sit, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, quia eos, quos dederat nummos, Deo abstulit, considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti. Considera judicium Dei, quod meretur, qui semetipsum Deo devovit,*

(1) Epist. 33.

*continuoque mundi desideriis irretitus mentitus,est, quod vovit.* ,, Haec Gregorius.

Ingenue fateor, horribilia.illa, quae infelix Ananias, et uxor Lot experti sunt, diebus nostris non evenire, nihilominus abs re non erit oculos convertere in tot, et tot Exreligiosos, qui Dei justam iram haud effugere valentes inopinata, et improvisa morte perempti sunt. O judiciorum Dei abyssus multa, o terribilis in consiliis Deus super filios hominum! Alios quoque vidimus non semel tristitia magna oppressos, alios diutinis, iisque insanabilibus morbis afflictatos, alios innumeris fere malis vexatos. Sed divinum adimpleri debet oraculum ,; *Deus non irridetur , quae seminaverit homo , haec et metet* ,, (1). Si manus Domini super eos in hoc tantum saeculo aggravaretur, infelicitas eorum nonnisi dimidiata foret, imo fortasse nulla, sed jure timendum, ne plena sit, et aeterna ,, *Vae, filii desertores, inquit Isaias* (2). *Vae, filii desertores , ut faceretis consilium, et non ex me, ut ordiremini telam, et non per spiritum meum.* ,, Et in libro proverbiorum idem expressius habetur ,, *En proferam spiritum meum , quia vocavi , et renuistis . . . Despexistis consilium meum. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabò vos, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus, quasi tempestas irruerit, quando venerit super vos tribulatio, et angustia , tunc invocabunt me, et non exaudiam. Mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, nec acquieverint consilio meo* ,, (3). Quis haec non timeat? Quis haec non meminerit, nisi qui more aspidis surdae

(1) Ad Galat, 6. 7. (2) Cap. 30, 1. (3) Prov. 1, 23.

et obturantis aures suas aut non audit, aut se dissimulat audire?

Haec igitur cum ita sint „ *revertere, revertere, Ex-religiose frater, audì quomodo suaviter, et fortiter te perstringit S. Bernardus* (1), *revertere, priusquam te absorbeat profundum, et urgeat super te puteus os suum, priusquam demergaris, unde ulterius non emergas, priusquam ligatis manibus, et pedibus projiciaris in tenebras exteriores, ubi est fletus. et stridor dentium, priusquam detrudaris in lacum tenebrosum, et opertum mortis caligine. Erubescis forte redire, qui ad horam cessisti? Erubesce fugam, et non post fugam reverti in praelium, et rursum pugnare; necdum finis pugnae, necdum ab invicem dimicantes acies discessere: adhuc victoria prae manibus est. Si vis, nolumus vincere sine te, nec tuam tibi invidemus gloriae portionem. Laeti occurremus tibi, laetis te recipiemus amplexibus, dicemusque „ epulari, et gaudere oportet, quia hic filius noster mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est.* „

(1) Epist. 112.

FINIS PRIMAE PARTIS.

# PARS SECUNDA

## IN QUA AD TRUTINAM PLURES CAUSAE REVOCANTUR, QUIBUS SIBIMETIPSIS BLADIUNTUR EXRELIGIOSI POSSE TUTA CONSCIENTIA E CLAUSTRO RESILIRE.

Praemittuntur nonnulla scitu necessaria relate ad dispensationem votorum in genere, et relate ad causas, quae necessario requiruntur, ut regulari militiae adscriptus valide obtinere possit discedendi facultatem. Etiamsi neminem arbitrer adinveniri, qui veritates huc usque a me prolatas in dubium revocare audeat, plures tamen profecto non deerunt, qui me canere. ut vulgo dicitur, extra chorum, eo quod veritates hujusmodi sibimet aptari non posse blaterant. Clamant siquidem justis se, ac rationabilibus de causis claustrum reliquisse, ac insuper apostolica facultate suffultos. Non ille ego snm, qui insano furore repletus omnes omnino anathematizare ausim; plures quippe eorum; ut ab initio jam protestatus sum et millies etiam, si opus est, repetam, justis de causis e religione egressos fuisse pro certo habeo; sed liceat hic mihi tantummodo sciscitari, quare turbam illam magnam Exfratrum, quam nemo hodie dinumerare potest, elapsa saecula non viderunt? Quare tam novae, et quidem graves causae claustrum derelinquendi hac nostra aetate occurrunt, quae olim omnino ignorabantur? Quare demum hujusmodi causae urgent respectivos dumtaxat sacerdotes, non itidem laicos, sive conversos?

Sed hisce posthabitis interrogationibus, ut propositae difficultati directe occurram, principia quaedam mihi veniunt stabilienda, et doctrina, quam relate ad dispensationem sive a votis, sive a legibus universa tenet ecclesia, breviter expendenda.

Ac primo certum est, extare in ecclesia facultatem dispensandi a votorum, et juramentorum obligatione. Constat nimis clare ex Math. (1) *Tibi dabo claves regni coelorum : quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* „ Idem (2) *Amen dico vobis quodcumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* „ Quae verba cum generalia sint, et indefinita, perperam quis eadem restringere contenderet, et coarctare ad quaedam dumtaxat peculiaria debita relaxanda. Eruitur id quoque ex capite *de peregr.*, et cap. *venientes*, et cap. *non est*, et cap. *ea multa* ext. *de voto*, *et voti redemptione.* „

Penes ecclesiae praelatos hujusmodi residet potestas, quod angelicus Doctor (3) his verbis declarat. „ *Votum est promissio Deo facta de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quod sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Praelatus autem in ecclesia gerit vicem Dei, et ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur praelati auctoritas, qui in persona Dei determinat quid sit Deo acceptum secundum illud secundae ad chor. cap.* 2. *Nam et ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi. Et signanter dicit propter vos, quia omnis dispensatio petita a praelato debet fieri ad honorem Christi.* „ Praelati igitur vicem Dei gerunt. Porro

(1) Cap. 6. (2) Cap. 18. (3) 2. 2. q. 88. art. 12.

cum vota facta sint in obsequium Dei, planum est, praelatos posse hujusmodi vota relaxare, quisque enim remittere valet ea, quae in suum obsequium promissa sunt; Vota sont promissiones factae in obsequium Dei, ergo Deus ipse, seu qui vices gerit Dei, potest vota relaxare.

Praelatus non potest pro suo libito hac uti facultate, sed requiritur justa, et rationabilis causa. Audiatur iterum S. Thomas, qui (1) haec habet ,,. *Quidam dixerunt, quod ideo praelati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas praelati superioris, sicut supra dictum est, quod in votis subditorum, puta servi, vel filii, intelligitur conditio, si placuerit patri, vel domino, vel si non renitantur, et sic subditus absque omni remorsu conscientiae posset votum praetermittere, quandocumque sibi a praelato diceretur. Sed praedicta propositio falso innittitur, quia cum potestas spiritualis praelati, qui non est dominus, sed dispensator, in aedificationem sit data, et non in destructionem, ut patet,* (2) *sicut praelatus non potest imperare ea, quae secundum se Deo displicent, scilicet peccata, ita non potest prohibere ea, quae secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera. Et ideo absolute potest homo vovere ea: ad praelatum autem pertinet dijudicare quid sit magis virtuosum, et Deo acceptum. Et ideo in manifestis dispensatio praelati non dispensaret a culpa, puta si praelatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu religionis, nulla apparenti causa obstante. Si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubium reverteretur, posset stare judicio praelati dispensantis, vel commutantis, non tamen judicio proprio,*

(1) 2. 2. q. 83. art. 12 ad 3. (2) 2. ad chor. 10.

*quia ipse non gerit vicem Dei, nisi forte in casu, in quo id, quod vovit, esset manifeste illicitum, et non posset oppòrtune ad superiorem recurrere. Haec angelicus* ,,.

Ex allata D. Thomae doctrina luce clarius apparet, dispensationem sine justa, et rationabili causa in votis concessam non solum illicitam, sed et invalidam esse. Ita doctores communiter. Et ratio in genere est, quia ubi non adest justa, et rationabilis causa, deest potestas, et jurisdictio dispensantis. Jam vero potestas, et jurisdictio dispensantis in votis a Deo concessa est ecclesiae, seu praelatis ecclesiasticis cum pura, et rationabili causa, cum data sit in aedificationem, et non destructionem, ut dicit apostolus (1), ergo ubi deest conditio, sub qua datur dispensandi potestas, deficit ipsa potestas, deficit consequenter ipsa dispensatio, *arg. l. siquis sub conditione* 8 §. *si quis omissa causa.*

Ut agnosci valeat, quaenam sit justa illa, ac rationabilis causa, qua possit praelatus hujusmodi dispensationem impertiri, tria illa sunt consideranda, quae Innocentius II monet (2) ,, *Quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem* ,,. In casu itaque nostro, ubi agitur de facultate tribuenda religioso habitum dimittendi, et abeundi e claustro, perpendendum venit ex una parte majus, vel minus pondus illarum causarum, vi quarum hujusmodi petitur facultas; perpendenda ex alia stricta obligatio, quam ille semel contraxit inserviendi intra claustra, obligatio itidem non resiliendi quam sub gravissimis paenis eidem imposuit ecclesia, alia denique obligatio, quae

(1) 2. ad chor. c. 10. 8. et c. 13. 10.
(2) Cap. de voto, et voti redemptione.

religioni inserviendae ex contractu oneroso illi orta est. Haec, ut alibi vidimus (1), est talis, et tanta, ut non sit amplius sui juris, sed alieni, imo si ita mihi loqui fas est, non solum divini, sed et publici juris. (2) Uno verbo jus divinum, jus ecclesiasticum, jus sumptum stricte tale, cui respondet debitum rigorosum, prae oculis haberi debet.

Ut queat denique religiosus habitum dimittere, seque ad saeculum restituere, facultas, sive potius dispensatio requiritur summi pontificis. Cum enim hujusmodi dispensatio solemnem quamdam importet votorum relaxationem, (3) haec relaxatio successori tantum apostolorum principis reservatur, cujus potestas nullis est in ecclesia limitibus circumscripta. Per hanc rite, et valide obtentam, et sacra illa ligamina, de quibus huc usque sermo, minime franguntur, et paenae illae multiplices declinantur, quae contra apostatas, et fugitivos sunt a sacris canonihus inflictae. Hic vero obiter notandum, quod pontificia dispensatio non modo non eximit Exreligiosos a substantiali votorum observantia, sed ad illam ipsam, prout saecularis patitur status, eosdem urget, atque compellit.

Hisce omnibus rite perpensis, luce clarius apparebit, nonnisi de gravibus causis sibi blandiri posse religiosos legitimam obtinere facultatem e claustro recedendi. Et revera si concilium trid. (4) dispensationem a sacris canonibus nunquam impertiendam esse praescribit, nisi urgens, justaque ratio, ac major quandoque utilitas postulaverit, quis non videt, urgentem itidem, ac ju-

(1) Primae partis cap. 1. (2) Cap. 3. (3) Et dictis in cap. 1. part. 1.
(4) Sess. 25. c. 18.

stam exigi causam, dum de tali agitur dispensatione, in qua non solum humanum, sed et divinum, et naturale jus aliquo modo includitur (1). Quis non agnoscit, publicum bonum cuicumque privato anteponendum, adeoque utilitatem majoris ponderis hic requiri, ut qui juravit, et statuit in commune commodum vitam suam instituere, valeat tuta conscientia a proposito resilire? Quam ergo D. Bernardus (2) pro omni quacunque dispensatione in simili genere regulam observandam proponit, hanc ipsam in hocce praesenti casu tamquam basim stabiliamus oportet. ,, *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est* ,, Haec Bernardus.

Nequis autem putet hanc peculiarem esse D. Bernardi opinionem audiat eumdem sanctum doctorem (3) ,, *Numquid autem hoc dico, vel solus sentio, vel primus dico? An non hoc ipsummet et papa Gelasius sensit? Ait siquidem? Ubi necessitas non est, inconvertibilia manent sanctorum patrum decreta. Leo quoque papa; Ubi, inquit, necessitas non est, nullo modo sanctorum patrum constituta violentur.*

Absit tamen, dum necessitatem hic requiro, ut eam exigam necessitatem, quae sic proprie, ac stricte talis. Scio hanc non habere legem, ut commune fert praeloquium, ideoque nec sub lege comprehendi. Illam ergo intelligo necessitatem, quae, circumstantiis omnibus rite perpensis, talis existimari debet virorum proborum, ac

(1) Ex dictis in capite 1. et 3. (2) Lib. 3. de consideratione cap. 4.
(3) Lib. de dispensatione, et praecepto cap. 2.

sapientium, ac praecipue superioris judicio. Talis ex. gr. esset grave damnum sive spirituale, sive temporale religiosi, gravis inopia parentum, aliorumque propinquorum, bonum ecclesiae, sive reipublicae, et aliud quid simile.

Exeat nunc nescio quis Exreligiosus, et dicat: summi pontefices levioribus de causis quandoque dispensarunt. Ergone infideles dispensatores? Tune judex pontificiarum dispensationum? Papa dispensavit; quid ultra quaerendum? Alioquin universa turbaretur christiana respublica, innumeris conscientia scrupulis torqueretur. Delicatulae sane conscientiae, quae dummodo aliquid assequi possint, religio illis non est, quominus per fas, vel nefas, per subreptionem, vel obreptionem id, quod postulant, assequantur. Ego vero audacter asserere non dubito, dispensationes hujusmodi complures subreptionis, vel obreptionis vitio laborare. In omni principatu dispensationes subreptitiae, et obreptitiae non raro extorquentur. Hoc impedire nequit humana industria. Reges, principes, pontifices ipsi, ut ipsissimis verbis utar theologi non inferioris subsellii P. Danielis Concina (1) ,,*Pontifices ipsi etsi vigilantissimi, et sanctissimi, et ministrorum lenociniis decipi valent, et postulantium intercessionibus quandoque indulgere, vitandi majoris mali causa, prudentia jubet. Ex pluribus ergo oriri principiis dispensationis injustitia potest, et quocumque ex capite injusta, et invalida dispensatio sit, nihil eadem utentibus suffragatur* ,, De reliquo mihi videor eo insaniae, dementiae, ac impietatis adhuc non pervenisse, ut in ea, quae supremi legislatores, summique pontifices

(1) Theol, christ. tom. 6. dissert. 6.

peragunt, censuras intorquere ausim. Quid sit justum vel injustum, validum, vel invalidum hic ostendere conor; sapientissima, ac justissima pontificum decreta ea qua par est, observantia, reverentia, ac veneratione excipio. Verum, ne quis suspicetur me haec omnia sive gratis, sive animose prodidisse, audiat quaeso mellifluum doctorem (1) quem in sui tutelam vel ipse laudatus P. Concina adducit „ *Mira cautela, et stupenda providentia! Malum, quod iam corde conceperunt, opere tamen cauti fuere non implere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo conceptui papa praeberet assensum. Quo lucro? quove saltem compendio mali? Numquid ideo aut malum esse desiit, aut vel minoratum, quia papa concessit? Quis vero malum esse neget assensum praebere malo? Quod tamen summum fecisse pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Quod si haec non sufficiant, prodeat ultimo piissimus, ac doctissimus Trithemius. Hic partes meas, me pro nunc silente, excipiat, pro me loquatur; verum quidquid praeclarus hic vir protulerit, bene meditentur Exreligiosi, et sedulo animadvertant, an in numero eorum, de quibus Trithemius disserit, debeant annumerari. In suo igitur libro haec habet. (2) „ *Nec dispensatio faciet licitum, quae falsis narrationibus fuit impetrata. Si adsit in supplicante necessitas, in intentione supplicantis integritas, in usu dispensationis honestas, audacter dico, ut papa possit cum monacho dispensare, ut fiat canonicus, sic tamen ut ab eo, quod Deo*

(1) Epist. 7. (2) Penticho cap. 6.

*noscitur obligatus, sine necessitate non absolvatur: certus sum etenim, quod summus Pontifex neminem sine evidenti utilitate communi, et necessitate manifesta ab aliqua approbata religione intendit absolvere. Advocati autem Apostatarum causas falsas narrant pro veris, necessitatem fingunt, utilitaten mentiuntur, honestatem praetendunt, quam fugiunt. Radix, et causa totius mali hujus in sola voluptate, et odio disciplinae fundata est; quando autem causa narrationis falsa est, dispentatio non liberat, sed damnat impetrantem. Summus pontifex, auditis narrationibus supplicantium, caute respondere consuevit: si ita est, inquiens, ut narratur, fiat quod petitur, eo modo, et forma, quae sequitur. Respondet caute, indulget secrete, et sub certis limitibus dispensat. Sed monachi effraenati mox ut bullam acceperint, sub constitutis in ea non manent limitibus, sed modum dispensationis transgrediuntur, non quid impetrare voluerint attendentes. O miseri, o insensati, o infelices, quare vosmetipsos decipitis? Cur animas vestras voluntarie perditis? Non absolvit dispensantis intentio ab eo, quod sancto Benedicto promisistis; Vos autem plus usurpatis vobis, quam papa concessit, imo totum assumitis sine licentia, quod obtinere illicite concupiscitis. Verum est, quod de quibusdam e vobis dixit quidam adhuc superstes, cum ex commissione apostolica illis habitum monasticum exuisset. Etsi, inquit, deposuerim eis habitum, tamen juxta tenorem bullae coram Deo adhuc monachi sunt. Infelices apostatae quis liberabit vos de manu viventis? Quis ab incusatione sancti Benedicti vos potuerit defendere? Quid proderit vobis, quod sine impeditione facti estis ex monachis canonici, si in extremo judicio Dei*

*vos cum reprobis deputari contingat? Enimvero nisi translationem vestram omnipotens arbiter approbet, nisi sanctus Benedictus princeps monachorum consentiat, nulla vos dispensatio excusat: traslatio vestra debitum finem non respicit, et idcirco inexcusabilis erit. Conscentias vestras interrogate, et qua intentione ab ordine recessistis, perpendite. Si amore Dei, si desiderio patriae coelestis, si propter salutem animarum, si ob profectum virtutum, et statum vitae sanctioris habitum exuistis, approbabit Deus factum, quod fecistis: sed omnibus his intentio vestra fuit contraria, idcirco translatio ab ordine merito censetur a voluntate Dei aliena, nam ut sine lege viveretis, abjecistis habitum; sine obedientia, sine humilitate, sine paupertate vivere fuit intentio vestra. Non est timor Dei ante oculos vestros: de animarum salute nihil cogitatis, de vita aeterna nihil sapitis, in sola voluptate carnis ambulare concupiscitis: omnes causae, et rationes, quas in supplicatione narrastis, confictae, et falsae sunt. Quomodo dispensatio legitima erit? Quomodo excusabit vos summi pontificis auctoritas, quam mendacio, fraude et dolo, et importunis precibus circumvenire non timuistis?* Hactenus Trithemius.

Ex dictis clarissime patet, quid respondendum sit eis, qui legitimis jactant de causis, ac insuper apostolica facultate munitos monasterii septa reliquisse. Etenim vel illos impulit aliqua vera peculiaris necessitas, sive publica utilitas, et hocce in casu obtenta dispensatio erit valida, et sit bene eis; vel defuit praedicta necessitas, et utilitas, et tunc audacter dico, dispentiationis diploma ad nihil valere. Nihilominus, ut veritas de se luculentissima magis, magisque elucescat, non pigeat hac super

de re pleniorem habere sermonem. Edisserant ergo, quaenam fuerint hujusmodi causae, et illico plures, et varias exacervabunt. Alter infirmam valetudinem, alter parentum inopiam, alter injustam, quam patitur inter sodales, persecutionem, alter bonum ecclesiae, cui inservit, alter majus bonum sui ipsius, qui minus forsan considerate hisce vinculis sese obstrinxit, alter difficultatem non levem rursus se claustralibus legibus subjiciendi, alter aetatem jam senio appropinquantem, alter denique aliquas alias causas sive animae, sive corporis in medium adducet, quae tamen ad supradictas poterunt facillime revocari. Abs re non erit singulas per tot distinctos paragraphos ad trutinam revocare.

## § I.

### QUID DE INFIRMA VALETUDINE.

Ac primo, quos adversa premit valetudo, ita mihi perstringere placet. Quae ipsi patiuntur incommoda, vel sunt levia, vel sunt gravia: morbi, a quibus affligantur sive parum, sive valde molesti sunt; non enim hic occurrit evadendi rima. Si primum, qua, obsecro, fronte poterunt ipsi jugum excutère religionis, et ad saeculum redire? Quis nescit cunctos fere homines utpote lutea vasa portantes innumeris, iisque quotidianis non solum animae, sed etiam corporis obnoxios esse miseriis, miserias hasce posteriores progressu temporis, annisque procedentibus increscere, et nunquam terminum habere, nisi cum migratur e vita? quis nescit, inquam, non solum religiosos humiles, et pauperes, qui cinerem tan-

quam panem manducant, et miscent potum cum fletu, sed etiam reges, et principes, qui epulantur splendide, et mollibus vestiuntur, iisdem subjectos esse infirmitatibus? Quis nescit denique ex conditione humanae naturae hujusmodi morbos non solum pauperum tabernas, et monasteriorum claustra, sed etiam regum turres, et arces fortissimas penetrare? Numquid exuendo ipsi religionis habitum valebunt, et humanam naturam exuere, atque alteram impassibilem vestire? praeterea jam superius probavimus, nonnisi gravibus de causis licitum esse religioso viro septa relinquere monasterii, et ad saeculum redire. Quis vero sanae mentis levia incommoda dixerit gravia, incommoda scilicet illa, quae omnibus sunt communia, quaeque omnes ubique comitantur? Ergo nonnisi per summam dementiam, ne dixerim per summam impietatem pronuntiare quis poterit, licitum esse praedicto viro praefatis de causis religionis portum derelinquere, iterumque procellosi maris saeculi hujus fallacibus undis se committere.

Sed quae ab initio sunt levia, objicere quis posset, tractu temporis fiunt gravia juxta illud tritum ,, *Principiis obsta, sero medicina paratur*. ,, Ast sciscitari mihi liceat, an graviora fiant ex conditione humanae naturae eo magis in deterius inclinantis, seu ex natura status religiosi? Si primum dicat, quocumque ille se vertat, videlicet sive in religione permaneat, sive ad saeculum redeat, perinde se habet; si alternm, consequens illud videretur, religionem, sive statum religiosum jugum esse indomitum durae cervicis hominibus, quod nec ipsi, nec patres eorum potuerunt portare. Non ita sane, reponet Exreligiosus, sed quod in dubium revo-

cari nequit, intra claustra homo infirmae valetudinis, non potest sibi, sicuti in propria domo, consulere, ac providere. Et qua obsecro de causa? Forsan quia in monasterio multiplici defatigatur labore? Sed non habet praelatos, qui suis non possint compati infirmitatibus? deinde confugiendi ad superiores, ut sublevetur, semper ipsi aditus patet. Forsan quia nimis aspera vestis infirmae valetudini non parum affert detrimenti? Sed in hoc quoque praesulum indulgentia plus minusve ei poterit levamen afferre. Forsan quia consodales sive nequeunt, sive nolunt debitum ei praebere adjumentum? Superiorum vigilantia huic quoque malo, quod non tam de facili praesumendum est, illico occurret. Dein, quia adhuc non tam gravi morbo laborat, sed integra tantum, ut supponitur, non gaudet valetudine, ut alias, et quidem commodiores, adeat domos, ut in salubrius coelum se conferat, ut peregrinum aerem cum patrio commutet, eidem fas erit postulare. Forsan quia religio impar est magnis illis expensis obeundis, quae pro ciborum, et medicaminum delectu necessario requiruntur? Casus iste rarissimus est; plura quippe supponit, quae non tam faciliter possunt in uno, eodemque homine concurrere: primo necessitas magnarum expensarum pro non adhuc tam gravi morbo medendo: secundo pauperies tam religionis, quam religiosi non valentium hujusmodi expensas sustinere: tertio facilitas ex parte religiosi tales sustinendi sumptus, religionis jugo excusso. Verum si reipsa casus iste contigeret, morbus non amplius levis, sed gravis existimandus est, et quod religioso viro in pertinaci gravi morbo constituto liceat, jam sum ostensurus.

Cum igitur morbus, quo religiosus laborat, ejus generis est, ut infra septa monasterii degens vita de facili periclitaretur, vel saltem eamdem nimis moleste ducere cogeretur, hac in hypotesi equidem dici potest in quadam constitutus gravi necessitate. Poterit ergo uti jure suo, ad pontificem maximum, veritate exposita, supplicem habere recursum, ab eoque discedendi obtinere facultatem. Sed quam pauci sunt religiosi, quos gravis morbus vel invitos discedere cogit e monasterio; quot e contra sunt illi, qui sese equidem jactitant gravibus, iisque multiplicibus morbis vexatos, reipsa tamen, vel nullis, vel levibus tantum incommodis afficiuntur! Et re quidem ipsa, si eorum querimoniae veritati niterentur, infirmos eos de continuo cerneremus, debiles, imbecilles, facies eorum squallida, vox tenuis, incessus difficilis foret, fastidio cibi, et potus tenerentur, nec quidquam gerendi, imo nec animum relaxandi eos invaderet cupido. Ast hi e converso, Dei opitulante gratia, validi, sospites, incolumes, vultus floridus, os loquax, gressus velox, primos recubitus amant in mensis, dies genialiter agunt, et ubi sese offert lucrandi occasio, non parcunt cuicumque labori. Et hi affecti gravibus morbis erunt existimandi? Ipsi videant. Non doctas fabulas secutus, sed quotidiana instructus experientia haec scribo. Religiosus itaque aliquo morbo laborans, nunquam de resiliendo a claustro meditetur, sed divinae se conformet voluntati. Prae oculis habeat illud ,, *Quod virtus in infirmitate perficitur*, (1) *quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* (2). Unde S. Aug. (3) ,, *si quotidie oportet*

(1) 2. ad chor. 12 9. (2) Rom. 8. 18. (3) Serm. 2. de festo omn. SS.

*nos tormenta perferre, si gehennam ipsam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus venientem in gloria, et sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne, quod triste est, ut tanti boni, tantaeque gloriae participes haberemur?* ,, Denique meminerit nunquam nos pro merito pati, nam si pensamus malum, quod fecimus, minus est, quod patimur, multo majus, quod meremur.

## §. II.

### QUID DE PARENTUM INOPIA.

Auditis his, qui sub infirmitatis praetestu monasterio valedixerunt, quorum sane ingens est numerus, eos audiamus oportet, quos pietas erga parentes eduxit e claustro, quorum pariter numerus non est exiguus. Apostolicum illud effatum audacter objiciunt ,, *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (1). Absit, ut velim istos religiosos, ut mihi morem gerant, tam nefario scelere inquinatos, sed ad omne eorum scrupulum sedandum binas sententias Redemptoris nostri oppono, ita profecto clamantis.,, *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores non potest meus esse discipulus* ,, (2). Item *Qui amat patrem, et matrem plus quam me, non est me dignus* (3). Cavendum ergo, ne immoderata erga parentes dilectio avertat homines sacris vinculis mancipatos a dilectione Dei, et cum velint nimiam eorum curam habere, qui

(1) 1. ad Tim. 5. 8. (2) Luc. cap. 14. Math. cap. 11.

sese genuerunt, obliviscantur factoris sui, et primi patris, qui in coelis est. Ergone nunquam licitus erit filiorum egressus a religione ad inopiam parentum sublevandam? Dum illi vitam agunt in monasterio commodiorem, hi cooperti miseriis, et aerumnis confecti dies suos complebunt, eo quod consolantem non invenerunt, nec fuit, qui eos adjuvaret? Adhaereat lingua mea faucibus meis, si haec proferre ausim. Non solum in extrema, sed etiam in gravi parentum necessitate fas erit religioso viro e claustro discedere, expostulata tamen, et obtenta summi pontificis concessione. Porro necessitatem gravem illam appello, in qua constitutus homo non potest vitare, nisi subveniatur, grave malum, ut captivitatem, infamiam, amissionem status juste acquisiti, jacturam notabilem bonorum, vel gravem miseriam, quae vitam reddat graviter molestam. Item, ne invidioso rigoristae nomine traducar, nomine parentum non solum patrem, et matrem, sed etiam fratres, et sorores, imo et nepotes intelligo, dummodo tamen, circumstantiis omnibus rite perpensis, in tali statu constituti sint, qui ope religiosi, sive ad victum, sive ad christianam educationem absolute indigeant. Crudele quippe nimis esset, quod parvuli peterent panem, nec foret qui frangeret eis. Dein ad publicam refert utilitatem, quod familiae in suo statu conserventur, filii recte instituantur, quique arctis consanguinitatis vinculis sunt conjuncti, sese invicem opitulentur. Ne tamen decipiamur, sive decipiamus in tam gravi negotio angelicam D. Thomae doctrinam prae oculis habeamus, qui (1) haec habet. ,, *Aliud dicendum est de eo, qui adhuc in saeculo est*

(1) 2. 2. q. 101. art. 4.

*constitutus, et aliud de eo, qui est in religione professus. Ille enim, qui est in saeculo constitutus, si habet parentes qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis relictis, religionem intrare, quia transgrederetur praeceptum de honoratione parentum. . . . Ille vero, qui jam est in religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo. Unde non debet occasione substentationis parentum exire e claustro, in quo Christo consepelitur, ac se iterum saecularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, salva sui praelati obedientia, et suae religionis statu pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.„* Similia fere repetit in quodlibet (1). Ex hac angelici doctrina clarissime eruitur, non licere religioso viro e claustro resilire, quando alia via ei praesto sit suppetias ferre parentibus. Et revera, si ad eos sublevandos religiosus praelatus ei praeberet facultatem manendi extra claustra, retento tamen, nec dimisso religionis habitu, si ex suis laboribus, studiis, industriis, aemolumentis possit eis convenientem opem afferre, si christifideles non solum praesentes, sed etiam absentes per supplices litteras exorati stipes suas elargirentur, quod non omnino desperandum esset; agitur enim de duplici opere bono patrando, scilicet de sublevandis miseris, ac religioso intra claustra retinendo; si denique monasterium ipsum ad tantum charitatis opus aliquo modo concurreret, quod sane tam difficile non videtur; quale est enim coenobium illud, quod aliquas in diem non elargiatur eleemosinas; si hisce, inquam, aliisque similibus viis, quas ex D. Thoma prae viribus intentare tenetur, possit vir religiosus suorum necessitati, sive temporali, sive spirituali

(1) 111. q. 6. art. 2.

prospicere, quis, inquam, ab onere manendi intra claustra eum audebit liberare? Antequam igitur religiosus monasticum habitum dimittat, bene perpendat, an possit alia via praedictae suorum necessitati occurrere, et dum vere animadvertit coram Deo, omnem sibi viam esse interclusam, facultatem petat abeundi e claustro, eaque obtenta, discedat in nomine Domini. Adnotetur insuper, imo loco principii habeatur, religiosum, qui necessitate compulsus e claustro egressus est, eo usque obtenta dispensatione uti posse, donec causa perseveret, propter quam illa concessa fuit. Finge itaque, parentes Titii, ad quorum levamen debitis munitus facultatibus ipse religionem dereliquit, e saeculo migrasse, ipse tenetur in conscientia, nisi aliud obstet impedimentum ad monasterium illico reditum facere, etiamsi dispensatio primitus obtenta fuerit illimitata, imo ad totum vitae suae tempus indulgenter concessa. Ratio patet ex dictis, quia scilicet praelatus nequit pro suo libito uti hac facultate, sed requiritur justa, et rationabilis causa, quae in allata hypothesi non amplius subsistit; aliunde indubium est, quod, cessante causa finali dispensationis, cessat ipsa dispensatio. Hujusmodi casus fuit olim propositus sacrae poenitentiariae, et tale praebuisse responsum mihi pro certo compertum est.

Si igitur ita res se habet, quot putas erunt Exreligiosi, qui, salva conscientia, ad suorum levamen in saeculo morantur? Nonne de pluribus poterit jure merito suspicari, ab immoderato potius erga parentes affectu, quam a necessitate eosdem adjuvandi detineri? Audiant hi doctorem maximum sanctum Hyeronimum (1)

(1) In epist. ad Eliodorum.

et contremiscant. „ *Licet parvulus e collo pendeat nepos, licet sparso crine, et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat mater, ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola; solum pietatis genus est hac in re esse crudelem: facile rumpit haec vincula amor Dei, et gehennae timor* „. Audiat D. Bernardum talia ad Gaufridium Lexoviensem scribentem (1), et majori adhuc repleantur timore „ *Amici tui, et proximi tui adversum te appropinquaverunt, et steterunt. Revocaverunt te in fauces leonis, et in portis mortis iterum collocaverunt te. Collocaverunt te in obscuris, sicut mortuos saeculi, et parum est, ut descendas in ventrem inferi; jam te declutire festinat, ac rugientibus praeparatis ad escam tradere ad devorandum.* „ Epistola vero antecedenti (2) introducit S. doctor juvenem quemdam, qui ita parentes alloquitur „ *O durum patrem, o saevam matrem, o parentes crudeles, et impios, imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est. Qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Qui me rursus ad naufragium, unde tandem nudus evasi, rursus ad ignem, unde vix semiustus exivi, rursus ad latrones, a quibus semivivus relictus sum, sed miserante samaritano, jam aliquantulum convalui, revocare conantur. Proh furor! si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? . . . . Quid ergo? Ibo, et consolabor lugentem matrem meam ad tempus visitatione, ut in aeternum lugeam me, et ipsam sine consolatione? Ibo, inquam, et satisfaciam patri meo irascenti pro mei ad tempus*

(1) Epist. 112. (2) Epist. 111.

*absentia, consolandus et ipse ad tempus de ejus praesentia, ut postmodum et quisque pro se, et uterque pro alterutro inconsolabili desolemur tristitia? En potius exemplo apostoli non acquiescens carni, et sanguini vocem Domini audiam jubentis: dimitte mortuos sepelire mortuos suos; cantabo cum Davide· renuit consolari anima mea; cum Jeremia: diem hominis non concupivi; Domine tu scis. Quid enim? Funes ceciderunt mihi in praeclaris, et coelestis haereditas praeclara est mihi* ,, Hactenus mellifluus doctor. Qua ipse usus est felicitate, dum voce sua tot homines a saeculi pompis traduxit, ut ipsum pauperem, et humilem in religione sequerentur, eadem scriptis suis accendat corda eorum, qui primo religioni nomen dederunt, ac postea sine gravi, et rationabili causa illam reliquerunt, ut cognito errore, ac saeculo nequam relicto, iterum ad claustra, sive potius ad Iesum Christum revertantur.

## §. III.

### QUID DE INJUSTIS PERSECUTIONIBUS.

O vos omnes, qui e claustro egressi estis, ob injustas, quas patiebamini inter sodales persecutiones nunquid non legistis apud sapientem. ,, *Fili accedens ad servitutem Dei praepara animam tuam ad tentationem?* (1). Non legistis apud apostolum ,, *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur?* ,, (2). Numquid non audistis Jesum clamantem, et dicentem ,, *Si me persecuti sunt, et vos persequentur?* ,, (3). Vir itaque pius, et tribulatio sunt duo cur-

(1) Eccl. 1. 2. (2) 2. Tim. 3. 12. (3) Joan. 15. 20.

sores, qui simul currunt, sed cum ille tribulationi non cedit, quasi victor antecedit, praecurrit, tribulatione ab illius tergo subsequente, sicqne *persecutio* dicitur, non autem *consecutio*, quia persequitur virum pium, sed non assequitur. Unde ait S. Leo magnus (1) „ *Ideo numquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Sicut ergo totius est temporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre* „ Et S. Augustinus (2) illud memerabile protulit „*Si putas te non habere tribulationes, nondum cepisti esse christianus* „. Haec omnia bene noscentes, et prae oculis habentes tot praeclari, et sancti viri ad imitationem Christi Jesu toleraverunt probra, sustinuerunt irrisiones, non timuerunt flagella, carceres non exhorruerunt, et quot pro Christo pertulerunt persecutiones, tot ei de se sacrificia obtulere. Ast mihi, inquiet aliquis, deest talis virtus, nec valeo tales, tamque multiplices sustinere persecutiones. Audiat hic S. Bernardum, qui (3) exponens illud apostoli „ *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* „ talibus verbis querimoniam refellit „ *Perge ergo murmurare, et dicere, non possum tam immania, tam diuturna portare. Apostolus momentaneum, et leve perhibet esse, quod tolerat, et certe necdum a Iudaeis quinquies quadragenas, una minus accepisti, necdum plus omnibus laborasti, postremo necdum usque ad sanguinem restitisti* „ Sed praestat etiam audire iterum S. Augustinum, seu quisquis est auctor sermonum de tempore qui haec scribit (4). „ *Tot viri, mulieres, clerici, pueri, tot et delicatae puellae flammas, ignes, bestias aequanimiter pertulerunt, et nos ho-*

(1) Serm. 9. de quadrag. (2) In Psal. 35. (3) Serm. 61. (4) Serm. 1.

*hominum convicia dicimus tolerare non posse? Unde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus sanctis partem in aeterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.* Et alibi (1) *Fili, ne neglexeris disciplinam Dei, neque defeceris, cum ab eo argueris: quem enim diligit Deus corrigit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Timeat, quem Deus corrigere non vult in saeculo, quia eum supplicio destinavit post saeculum* ,,.

Si ergo Exreligiosi fratres, Deus per inimicos vestros, quicumque tandem hi sunt, vos corrigit, et flagellat, cur timor, et tremor venit super vos, cur contexerunt vos tenebrae? Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere (2). Mementote, quod mandata ejus gravia non sunt (3) et insuper, quod Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possitis, et petere, quod non potestis (4). Pulchra similitudine hujusmodi veritatem declarat S. Ephrem. (5) *Si enim, inquit, homines suis jumentis non plus oneris imponunt, quam ferre queant, multo minus hominibus plus tentationum imponet Deus, quam ferre quea t. Rursum, si figulus vasa sua excoquit eousque, dum rite coquantur, nec ante ea eximit, ne minus cocta, et solida sint, nec rursum ulterius sinit in igne, ne adurantur, fiantque inutilia, multo magis idem faciet Deus, ut igne tentationum eousque nos coquat, dum percoquat, et perficiat, ulterius vero tentatione aduri, et consumi nos non sinat* ,,.

(1) Hom. 46. (2) 1. ad chor. 10. (3) Joan. 5. 3.
(4) Conc. trid. sess. 6. c. 11. (5) Tract. de patientia.

Quod si exemplum Christi Jesu, ac tot insuper sanctorum vos non excitat, si spes aeternae vitae vos non erigit, si divinae gratiae auxilium vos non movet, ut ad vestrum redeatis monasterium, ulterius vos non urgebo, imo sinam vos in pace frui dispensatione obtenta, dummodo tamen haec *subreptitia*, vel *obreptitia non fuerit*, nam si justa aliqua de causa vos vexati fuistis, si persecutio non omnino fuit injusta, utpote quae a vobis aliquo modo promerita, audite quaeso D. Bernandum, quomodo ipse nepotem suum alloquitur, qui tali praetestu e cisterciensibus aufugerat, atque ad cluniacenses se contulerat (1). ,, *Fuerit certe meae culpae, quod discessisti, delicato quippe adolescentulo austerius extiteram, et tenerum durus nimis inhumane tractavi. Hinc enim et praesens quondam adversus me, quantum memini, murmurare solebas, hinc et nunc, sicut audivi, etiam absenti derogare non cessas. Non tibi imputetur. Possem forsitan excusare, et dicere: quia sic lascivi pueritiae motus coerendi erant, ac rudibus annis debebantur aspera illa disciplinae districtioris initia, scriptura attestante, quae ait: Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte: Et rursum: Quos enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Et illud: utiliora sunt verbera amici, quam oscula inimici: sed fuerit, ut dixi, meae culpae, quod discessisti, ne, dum de reatus perpetratione contenditur, emendatio retardetur. At vero hinc vel procul dubio incipiet esse et tuae, si non parcas paenitenti, indulgeas confitenti, quia, potui quidem aliquando in aliquibus fuisse erga te indiscretus, sed certe non*

(1) Epist. 1.

*malevolus. Quod si et in futuro hanc ipsam indiscretionem meam suspectam habes, noveris me jam non esse, qui fueram, quia nec te puto fore, qui fuisti. Mutatus mutatum invenies, et quem ante metuebas magistrum, comitem amplectere securus. Itaque sive mea culpa recesseris, ut tu putas, et ego non excuso, sive tua, ut multi putant, et ego non accuso, sive mea simul, et tua, quod ego magis puto, ex hoc jam, si redire renueris, solum profecto inexcusabilis eris. Vis ab omni culpa liber esse? Revertere .... Si redire recusas, alteram quaere occasionem, unde falso blandiaris conscientiae tuae.*

## §. IV.

### QUID DE BONO ECCLESIAE, CUI EXRELIGIOSUS INSERVIT.

*Est via, inquiebat sapiens, quae videtur homini recta, novissima vero ejus ducunt ad interitum* (1) ,, Nil magis timendum, quam per eam incedant Exreligiosi, qni parum de sua salute solliciti, sed dumtaxat bonum ecclesiae, cui inserviunt, seu cui praesunt, prae oculis habentes, erroneum sibi efformant conscientiae dictamen, sicque tuto extra claustra permanere posse arbitrantur. Quid, inquiunt, mei refert, de religione, quam dereliqui ,, *Religio munda et immaculata apud Deum, et patrem est visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo* (2) Audiant hi divinum responsum. ,, *Qui sibi nequam est, cui bonus est?* ,, (3). En quomodo hos jactatores humi-

(1) Prov. 16. 25. (2) Jacob. 1. 27. (3) Eccl. 14. 15.

liat S. Bernardus (1) „. *Si totus vis esse omnium instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena sit : quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es. Ergo ut integra sit, et plena humanitas, colligat et te intra se sinus, qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodest juxta verbum Domini, si universos lucreris, te unum perdens? Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui? Usquequo vadiens spiritu, et non rediens? Usquequo non recipis te et ipse inter alios vice tua? Sapientibus, et insipientibus debitor es, et soli negas te tibi? Stultus, et sapiens, servus, et liber, dives, et pauper, vir, et faemina, senex, et juvenis, clericus, et laicus, justus, et impius, omnes pariter partecipant te, omnes de fonte publico bibunt pectora tua, et tu seorsim sitiens stabis? Si maledictus, qui partem suam facit deteriorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem? Sane deriventur aquae tuae in plateas: homines, jumenta, et pecora bibant ex eis, quin et camelis pueri Abrahae potum tribuas, sed inter caeteros bibe tu de fonte putei tui* „.

Et revera quis nescit, nunquam facienda esse mala, ut veniant bona? Quis nescit, vel ipsam noxam venialem nunquam licitam esse, nec ad quodcumque bonum acquirendum, neque ad quodcumque malum vitandum? Amplius vero quam veniale ab his perpetratur, qui absque gravi, et rationabili causa a religione recedunt; hi quippe declinant in suas obligationes, et declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Quid ergo proderit iis bonum, quod operantur?

(1) Lib. 1. de consid. cap. 5.

*Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur* (1).

Bonum ergo ecclesiae, cui inserviunt, solitarie sumptum non potest esse absolute loquendo justa illa, ac rationabilis causa, propter quam egressus a claustro religioso viro licitus sit. Verum quia ex presbyterorum inopia quandoque accidit, ut inter clerum saecularem nemo inveniatur, qui rudes populos doceat, pascat, atque gubernet, hocce in casu aliter res se habet, aliterque profecto sentiendum. Etenim si superius ostendimus, fas esse religioso viro e septis egredi monasterii ad corporalem parentum suorum miseriam sublevendam, quonam pacto non ei licebit egressus ad pascendum Christi gregem, et ad eos opitulandos, qui sedent in tenebris et in umbra mortis? Sed quos posuit Deus episcopos regere ecclesiam suam, isti, et non illi debent ferre judicium de tali populorum sive necessitate, sive utilitate. Et postquam coram Deo hanc revera adesse cognoverint, eorum erit ad summum pontificem humilem habere recursum, ac suppliciter exorare, ut mittat operarios in messem suam, facultatem praebendo, ut valeat religiosus egredi e monasterio, si in eo commoratur, vel adhuc permanere in saeculo, si jam egressus est, quodausque necessitas, vel publica utilitas id expostulaverit. Et ideo tali ipse oportet affectus sit dispositione, ut statim ac sublata sit praedicta sive necessitas, sive utilitas, illico ad monasterium rursus evolare paratus sit.

Sed quoniam huc sermo meus evasit, atque de episcopis aliquid disserere coactus sum, ea, qua par est, maxima humilitate, reverentia, ac animi demissione

(1) Math. 16. 26.

precor, atque obsecro, ne admittant Exreligiosos ad animarum regimen, nisi vera necessitas, vel major quandoque utilitas id expostulaverit. Nam praeterquamquod ipsi alienis communicarent peccatis, experientia compertum est, hujusmodi munus non omnibus omnino religiosis bene congruere. Curent ergo, prout vires suppetunt, sacerdotes extraneos accersere, quos habent simplices ad tale munus, si idoneos agnoscant, provehant, sin minus, ut aliquando fiant idonei, elaborent: sedulam praebeant operam, ut clericorum seminaria rite instituantur. Ast sinant, quoad fieri potest, regulares in atriis suis deambulare prae oculis habentes, quod „ *sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui dereliquit locum suum* „(1). Illud pro coronide observandum, quod nisi adesset talis, tantusque Exreligiosorum numerus occupantium curas, et paraecias, forte episcopi ob inopiam sacerdotum gravibus in angustiis positi de facultate romani pontificis, sive respectivorum regularium praesulum retinerent in paraeciis religiosos vere, ac stricte tales, non quoscumque indiscriminatim, sed quos habiles, et probos praesules ipsi agnoscerent. Hi cum forent ad eorum nutum amovibiles, ac duobus superioribus saeculari scilicet, et regulari subjecti, non assimilarentur infelicibus illis avibus, de quibus allatus textus loquitur, sed sicut passeres eriperent sese de laqueo venantium, non quaererent, quae sua sunt, sed quae Iesu Christi; uno verbo et probitatis suae majora specimina praeberent, et munere suo melius fungerentur.

(1) Prov. 27. 8.

## §. V.

### QUID DE MAJORI BONO SUI IPSIUS.

Venio nunc ad alteram solvendam objectionem ex majori Exreligiosorum bono petitam, qua imperiti nonnulli non parum imponere arbitrantur. Ajunt igitur hi, sese minus considerate vota sua edidisse, vocationem non satis explorasse, nunc vero errorem optime nosse, adeoque velle conscientiae suae consulere religiosi habitus depositione. Argumentatio isthaec pluribus laborat, vel saltem laborare potest fallaciis, quae omnino detegantur, et in pleno lumine collocentur, oportet. Ac in primis qua fronte poterunt ipsi affirmare non satis sibimet perspectam fuisse status religiosi naturam, ac proprietatem? Nunquid unius anni spatium concessum ipsis non fuit ad deliberandum? velint, nolint, tali temporis intervallo sacrorum illorum vinculorum vis, et efficacia, si antea forte ignorabant, fuit eis omnino detecta, religiosae exercitationes, obsecrationes, meditationes, gratiarum actiones fieri solitae fuerunt ipsis satis, superque propositae, et quod praecipuum erat, de Christi mortificatione in suo corpore circumferenda fuerunt optime instructi. Hinc sensuum custodiam, sui ipsius abnegationem, modestiam in omnibus, et singulis actionibus, silentium diuturnum, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, insuper jejunia, abstinentias, disciplinas, aliaque hujusmodi per totum annum probationis servare omnino debuerunt; quomodo ergo audebunt asserere perspectam satis ipsis non fuisse religionis indolem, atque naturam? Reponent forsan, sese

adhuc in tenella aetate constitutos tanta non fuisse praeditos intelligentia, ut bene ponderarent, an sibi vires sufficerent ad perseverandum toto vitae suae tempore. Ergone aetas sexdecim annorum completorum non sufficit post integri anni probationem, post diuturnum, ac maturum consilium, ut quis sciat reprobare malum, et eligere bonum? Numquid misere decepti sunt, ac decepere tridentini patres, dum hanc aetatem legitimam statuerunt pro solemni edenda professione? Videant qui talia objiciunt, ne manum praebeant novatoribus, qui ad labefactanda monastica vota inter caeteras, quibus contra ipsa insurgunt, calumnias, et blasphaemias, tanquam praemature emissa, ea damnant, atque contemnunt.

Fateor tractu temporis, daemone instigante, et frigescente charitate, non raro molestum fieri, quod initio tale non apparebat. Hoc evenit saepe saepius tum in temporariis, tum in perpetuis cujuscumque generis promissionibus. Vel ipsa divina lex tot hominibus et fragilitate, et passione ad malum propensis ardua, et observatu difficilis evadit. Hinc Christus Iesus „*regnum coelorum, inquit, vim patitur, et nonnisi violenti rapiunt illud*„ (1), Verum quid inde? Valebitne religiosus aliquis, sive tepefactus, sive tentatus difficultatem hanc, quae in votorum, et regulae suae observantia ab eodem experitur, declinare, sive saltem imminuere a claustro recedendo, et redeundo ad saeculum? Minime sane. Quinimo asperiores ingredietur vias, et difficultatem illam magis magisque in diem sentiet, ut patebit serio recolenti, quae dicta sunt capite V prioris partis, et quae mox addam in majorem eorum confirmationem hoc eodem paragrapho.

(1) Math. 11. 12.

Quod vero alii subdunt, vocationem suam a Deo non fuisse, non est eis facile concedendum. Audiatur doctor angelicus qui (1) haec habet „ *Illi, qui ad religionem accedit, non potest esse dubium, an propositum de ingressu religionis in corde ejus exortum sit a Spiritu Dei, cujus est ducere hominem in terram rectam* „ Ast opera Dei, inquies, sunt perfecta, non ille, sicut homo mutationi obnoxius est; quomodo, quaeso a Deo ille vocatus, et electus, qui post aliquod temporis intervallum de suscepto vitae curriculo se poenitet, ac dolet? Ast, obsecro, quis magis a Deo electus, quam Saul, quis magis vocatus, quam Judas? Ast ambo retrocesserunt, ambo iniquis se inquinavere criminibus, ambo mala, imo pessima morte dies suos compleverunt. Audiatur rursus S. Thomas, qui (2) haec habet „ *Non propter hoc ostenditur non esse a Deo, quod aliqui retrocedant. Non enim omne, quod a Deo est, est corruptibile, alioquin creaturae corruptibiles non essent a Deo, ut manichei dicunt, neque etiam aliqui, qui habent a Deo gratiam, possent amittere, quod est haereticum.* „ Ex hac angelici doctrina luce clarius infertur aliud esse gratiam vocationis, aliud gratiam perseverantiae in eadem. Potest equidem esse prior sine altera, non jam culpa Dei, cujus perfecta sunt opera, quique dat omnibus velle, et perficere, sed culpa hominis, qui vocationis gratia abutitur ad ruinam. Non sine itaque causa clamat apostolus. „ *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, permaneat* (3). *Spiritum nolite extinguere* (4). *Sic stulti estis, ut cum spiritu coeperitis, carne consumemini?* (5) „

(1) 2. 2. 189. art. 10. (2) Loc. cit. (3) 1. ad chor. 7. 20.
(4) Ad thess. 5. 19. (5) Ad Galatas 3. 3.

At volo ego esse in hac parte indulgentior. Admitto itaque illis a principio necessariam defuisse vocationem, ideoque fortuito, per impetum, per lenitatem animi, ob aliquem humanum respectum solemnem emisisse professionem. Quid inde? Salubriusne erit consilium e claustro discedere, et presbyteri saecularis munere, officiove fungi?

Horret profecto animus, cum serio perpendo summum illud, ac perfectissimum vitae genus, quod Paulus in suis epistolis, ecclesia in suis sanctionibus, patres in suis scriptis universim a sacerdotibus exigunt ,, *In omnibus, inquit apostolus, exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in jejuniis, in castitate . . . in longanimitate, in charitate non ficta* (1). *Maledicimur , et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus, blasphemamur, et obsecramus*(2). *Imitatores mei estote, sicut et ego sum Christi* (3). *Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Jesu Christi* (4). *Ego autem libentissime impendam, superimperdar pro animabus vestris* (5) ,,. Ex his ad Timotheum, ad Titum, aliisque scripturae locis, a quibus citandis brevitatis causa supersedeo, optime infertur, sacerdotis cujuslibet vitam exercitio virtutum, exemplo bonorum operum, zelo animarum talem esse debere, qualis requiritur, ut dici possit, et queat perfecta (perfectione utique infra eam, ad quam tenentur episcopi) vel saltem quae ad perfectionem toto conatu aspiret, atque contendat. Hinc celebre illud effatum Isidori: *tantum inter sacerdotem. et quemlibet virum probum interesse debet, quantum inter coelum, et terram* (6) ,,.

(1) 2. ad chor. 6. 4. 16. (2) 1. ad chor. 4. 12. (3) 1. ad chor. 11. 7. (4) Act. 21. (5) 2. ad chor. 12. 15. (6) Lib. 2. epist. 107.

Si ergo talis, et tanta inest sacerdoti cuilibet etiam saeculari perfectionem assequendi obligatio, quanto majori conatu ad eam adipiscendam incumbere Exreligiosum oportet vi solemnis professionis? Recolantur superius dicta cap. V. Neque existimet unquam Exreligiosus ab hoc praeciso onere se subtrahi posse vi apostolicae dispensationis. Haec siquidem a monasticis exercitationibus illum eximit, non autem ab illo perfectiori vitae genere ducendo, quod solemni professioni inhaerere certissimum est. Hinc clausula illa in omnibus rescriptis apposita ,, *salva votorum substantia* ,, Exreligiosus itaque, si res bene consideretur, dum cucullam deposuit non modo e suis oneribus non se expedivit, sed imo majoribus se implicavit. Excussit, non inficior, jugum regularis observantiae, obedientiam regularibus superioribus debitam declinavit, libertatem quamdam, quae non est equidem libertas filiorum Dei, adeptus est, sed heu miser quanti libertatem hanc emere debuit! Duplici duplici, intelligat ipse aliquando, adstristus est obligatione ad perfectionem tendendi et qua religiosus est, et qua presbyter saecularis. Vi prioris obligationis debet in medio mundi vivere, et mundi voluptates aspernari, debet gustare dulcia, neque horum affici delectatione, debet honores pro nihilo habere, labores appetere, novissimum locum tenere, altiores gradus cedere, ac uno verbo in omnibus se exercere virtutibus, alioquin votorum observantia pereclitatur. Vi posterioris perfectionis debet, ut lux, omnibus splendescere, sicut ignis, omnes calefacere, sicut sal, omnium condire mentes, sicut speculator, domui Dei praesse, ab eaque malarum bestiarum incursus arcere, sicut pastor, commissum sibi gre-

gem non solum alere, sed optimis quibusque pabulis reficere, sicut medicus, omnibus mederi, prout aegritudo exigit cujuscumque. Ehu quot majores sibi assumpsit Exreligiosus obligationes relate ad proximum suum, quibus olim non adstringebatur! Cum enim multa onera, eaque arctissima, imo angelicis humeris formidenda sint de essentia status presbyteri saecularis, a quibus regularis vel omnino, vel in parte liberatur, cumque viceversa alia sint, ut vidimus, de essentia status religiosi, quas presbyteros saeculares non ita strictim afficiunt, Exreligiosus audax humeros nimis latos ostendit, ac impavidus subire non timet utrumque, sive onerum, sive obligationum genus, quod seorsim sumptum cuicumque praeclaro, atque ingenuo viro formidinem non exiguam ingereret. Et ubi subire non timet? Non timet in medio saeculi, ubi quidquid est nihil aliud est, nisi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitae (1). Non timet, ubi media desunt bene vivendi, quae in claustro aderant, non timet ubi tot se offerunt occasiones quotidie labendi, quae in claustro declinantur. Quid reponis, Exreligiose frater, ad haec? Inquies fortasse cum apostolo „ *omnia possum in eo, qui me confortat* (2) *Sed nescis Deum superbis resistere, humilibus solum concedere gratiam?* (3) „ Nescis illum dumtaxat posse bene hanc gratiam sperare, qui ad quaedam munia sacerdotalia peragenda vocatur a Deo tanquam Aaron? Nescis denique, qui amat periculum, in illo perire? (4) Dein si omnia potes in eo, qui te confortat, quomodo in ejusdem nomine non poteris sustinere et monasticam disciplinam, et regularem obser-

(1) Joan. 2. 16. (2) Ad Phil. 4. 13. (3) Jacob. 4. 6. (4) Eccles. 3. 27.

vantiam? Ast utraque, respondes, a meo genio aliena est. Et erit genio tuo conformis illa non vulgaris duplicis generis perfectio, de qua hactenus locutus sum? Paradoxon hoc mihi videtur. Melius dixerim, genio tuo effraenam libertatem conformiorem esse.

Sed ita plane sit res. Da mihi Exreligiosum, qui spiritu Dei plenus sit, qui cupiat esse anathema pro fratribus suis, qui omnia arbitretur, ut stercora, ut Christum lucrifaciat, et hic, si ad religionem non fuerit vocatus, maneat in saeculo. Sed quis est hic, et laudabimus eum? Sermo iste nimis durus fortasse videbitur; majori adhuc utar indulgentia. Da mihi Exreligiosum sobrium, justum, pium, sanctae paupertatis amantem, et zelo animarum ardentem, qui partes boni, probique presbyteri, boni, probique religiosi una simul conjunctas in saeculo adimpleat, et hic quoque, si adsit praedicta causa, in saeculo maneat. Sed ex his quoque quam exiguus numerus! Quid ergo concludendum? Quale vobis, o Exreligiosi, suggerendum consilium? Fugientes ejus quae in mundo est concupiscentiae corruptionem (1) revertimini in solitudinem (2) revertimini in tentoria vestra (3) et magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis (4).

## §. VI.

### QUID DE DIFFICULTATE RURSUS SE CLAUSTRALIBUS LEGIBUS SUBJICENDI.

Ubi hujusmodi difficultas adducitur pro causa, ex qua quis se existimavit exemptum a religione sua rursus

(1) 2. Petri 1.19. (2) Num. 14.15. (3) Deut. 5.30. (4) 2. Petri 1. 19.

amplectenda, risu potius, quam rationibus esset respondendum. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? inquit non nemo. Post tot annorum lapsum quomodo rursus et asperam induere vestem, et pedibus denudatis incedere, et somnum excutere, et surgere ante lucem, et verbis, et cibis, et potibus uti parcius, quomodo uno verbo claustralibus legibus me rursus potero aptare? En quomodo huic occurrit difficultati D. Augustinus, (1) sed da mihi hominem, in quo spiritus vocationis adhuc perseveret, et sentiet, quod Augustinus ait, si autem frigido loquor, nescit, quid Augustinus loquitur. ,,*Omnia saeva, et immania, prorsus facilia, et prope nulla efficit amor. . . Quam facile toleratur quaelibet adversitas temporalis, ut aeterna paena vitetur, et aeterna requies comparetur! Non immerito ille vas electionis cum ingenti laetitia dixit: non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, et sarcina levis, et si angustia est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dixit psalmista; propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* ,, Et alibi (2) quid sit explicat illa sarcina immanis, quae tam premit Exreligiosos ,,. *Haec sarcina, inquit, non est pondus ponderati, sed ala volaturi. Habent enim et aves pennarum suarum sarcinas. Portant illas, et portantur. Portant illas in terra, portantur ab illis in caelo. Si tu misericordiam velis praebere avi, praesertim aestate, et dicas, miseram istam aviculam onerant pennae, et tu detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire voluisti* ,, Similia habet D. Bernardus (3) ad monachos ,,. *In via*

(1) Serm. 9. de verb. Dom. (2) Serm. 24. de verb. Dom. (3) Ep. 341.

*vitae quo citius, eo facilius curritur, et leve Salvatoris onus, quo crescit amplius, eo portabilius. Nonne et aviculas levat, vel onerat pennarum, sive plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, et reliquum corpus suo pondere fertur ad ima. Sic disciplina Christi, sic suave jugum, sic onus leve, quo deponimus, eo deprimimur ipsi, quia portat potius, quam portatur* ,,. Concluderet ergo D. Ambrosius si sermonem suum de Elia et jejunio ad Exreligiosos nostros convertere deberet (2) ,,. *Suscipite jugum Christi. Nolite timere quia jugum est, festinate, quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubiatis? quid procrastinatis? Non alligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat. Non necessitatem constringit, sed voluntatem boni operis dirigit.*

Sed videat qui talia objicit: expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Videat, inquam, ne spiritus vocationis declinaverit, ac pertransiverit. Si ita foret, audiat quaeso D. Bernardum talia ad Robertum nepotem suum scribentem (3) ,, *Scio quia delicatus es, et quod his assuetus modo duriora non possis; sed quid si facere potes, ut possis? Quaeris quomodo? Surge, praecingere, tolle otium, exere vires, move brachia, complosas explica manus, exercitare in aliquo, et statim senties sola te appetere, quae famem tollant, non fauces demulceant. Reddet quippe sapores rebus exercitium, quos tulit inertia. Multa quae respuis otiosus, post laborem sumes cum desiderio. Siquidem otium parit fastidium, exercitium famem. Fames autem miro modo dulcia reddit, quae fastidium facit insipida. Olus, faba, pultes, panisque cibarius cum aqua quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnae videntur deliciae.*

(1) Cap. 22. (2) Epist. 1.

*Jam forte tunicis dissuetus exhorres nimium eas, tam propter hyemis frigus, quam propter aestatis ardorem. Sed nunquam legisti: qui timet pruinam veniet super eum nix? Vigilias times, et jejunia, manuumque laborem. Sed haec levia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorum facit non horrere solitudinem. Si futuram cogitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium. Fletus aeternus, et stridor ille dentium ante oculos cordis reductus pares tibi reddet mattam, et culcitram . . . . . Surge, miles Christi, surge, excutere de pulvere, revertere ad praelium, unde fugisti fortius post fugam praeliaturus, gloriosius triumphaturus. Habet quidem Christus multos milites, qui fortissime coeperunt, steterunt, vicerunt: paucos autem, qui de fuga conversi rursus se periculo ingesserint, quod declinaverant, rursus fugarint hostes, quos fugiebant. Et quia omne rarum pretiosum, gaudeo te de illis posse esse, qui quanto rariores, tanto apparebunt gloriosiores. Alias autem, si multum timidus es, cur vel times, ubi non est timor, non autem times, ubi magis est timendum? . . . . Expergiscere, sume arma, et fuge ad commilitones tuos, quos fugiens deserueras, et qui te ab eis disjunxerat, ipse te denuo jungat timor. Quid armorum refugis pondus, et asperitatem, delicate miles? Adversarius instans, et circumvolantia spicula facient clypeum non esse oneri, loricam non sentiri, vel galeam. Et quidem subito procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem grave cernitur omne quod incipit. Sed postquam ab his desuescere, et ad illa se paulisper assuescere coeperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod impos-*

*sibile ante putavit. Solent etiam fortissimi milites, audita buccina, ante congressum trepidare. At ubi ad praelium ventum fuerit, spes victoriae, et timor, ne vincantur, reddit intrepidos. Quid vero tu trepidas? quem fratrum unanimitas armatorum circumveniat, cui angeli assistent a latere, quem dux belli Chistus praeibit suos animans ad victoriam, et dicens: confidite; ego vici mundum; si Deus pro nobis, quis contra nos? Securus potes pugnare, ubi securus es de victoria. O vere tuta pro Christo, et cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec millies, si fieri posset, occisus fraudaberis a victoria: tantum ne fugias: sola causa, qua perdere possis victoriam, fuga est. Fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes, et beatus, si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Vae autem tibi, si declinando pugnam, perdis simul et victoriam, et coronam* ,,. Hactenus S. Bernardus, qui cum tam bene, tam praeclare sit locutus, vel aliquid superaddere non solum inutile, sed etiam temerarium existimo.

## §. VII.

### QUID DE SENESCENTIBUS

Prodeat ultimo D. Joannes Crysostomus, cujus verba ad Teodorum monachum directa claustralem quemcumque in saeculo degentem, quamvis ad senium jam appropinquantem debent commovere (1) ,,. *Si fletus posset et gemitus per litteras nuntiari, redundantia lacrymis, atque suspiriis profecto ad te scripta misissem. Equidem fleo, non quod paternarum rerum sollicitudinem geras, sed quod ex fraterno te deleveris nu-*

(1) Chrys. ad Theodorum.

*mero, quod negligendo calcaveris quidquid ante de pectore Christi spoponderas, ad haec inhorresco, his angor, et crucior, propter ista formido, et non immerito; ut enim non objicitur desertio militiae non militanti, ita is, qui semel esse coeperit miles; cum deseruisse detegitur, poena dignus ultima judicatur. Non est grave, Theodore charissime, cadere luctantem, sed jacere dejectum; non est perniciosum in praelio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam ulceri denegare . . . . . . Desperare semel lapsum nihil aliud est dicere, quam hoc, qui semel ceciderit non resurget. Ne quaeso, ne usque adeo in expugnatione tui, ac laesione permaneas, neve tantum ignominiae omnibus nobis offundas dolorem. Et quidem non nunc solum loquor, quando annum vigesimum nondum agis, sed etiamsi omni te aevo Christo vixisse meminisses, postmodum autem in ultimo senectutis curriculo aeque et nunc lapsum viderem, ne tunc quidem in te desperationem probarem. Sed erige, obsecro, mentem evangelici latronis exemplo justificati in cruce, et in ipsa morte salvati: ante oculos collocabo etiam eos, qui undecima quidem hora aggressi sunt opus, sed ad totius mercedem diei pervenire meruerunt* „.

Haec Chrysostomus, quae etiamsi ad monachum senem non direxit, valde tamen conducunt ad excitandam inertiam religiosi cujuslibet asserentis, senectam, et senium sibi impedimentum esse, quominus ad propria revertatur. Quod si haec non sufficiant, audiatur magnus Gregorius, qui cum omnes adhibuisset conatus, nullique pepercisset labori, ut Exmonachus ille Venantius, de quo supra, resipisceret, sciens denique ipsum jam aetate longaevum, nec non duarum filiarum patrem

in gravem morbum incidisse, illico episcopum syracusanum monuit, ut protinus ad aegrotum jam de vita sua desperantem se conferret, eique de monachali cuculla vel in ipsis extremis rursus induenda se hortatorem praeberet. En ejus verba (1). „ *Fraternitatis vestrae scripta suscepi, quae mihi de dulcissimi filii mei domni Venantii aegritudine loquebantur, et cuncta circa eum, qualiter acta sunt, enarrabant. Sed uno tempore auditis, et illum desperare, ac graviter aegrotare, et in rebus orphanorum homines iniquos insistere, vix se dolor in corde meo capere poterat. Sed in hoc fuit solatium, quod lacrymae mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas primam, quam decet, curam negligere non debet, ut de anima ejus cogitare debeat exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ut ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei tantae culpae reatus in aeterno judicio obsistat, ac deinde vestrum est cogitare quomodo filiae ejus Barbara, et Antonia debeant provideri* „ .

Audivistisne, Exreligiosi, quid de Exmonacho Venantio jam jam morti proximo senserit magnus pontifex Gregorius? Eadem quoque, ego puto, sentiret de vobis, si denuo in mundum rediens suum deberet proferre judicium. Nihilominus, ut ea, qua possum, indulgentia utar, et traditis insuper principiis cohaeream, vobis adhuc permanere in saeculo licebit, dummodo vero, ac pudenti afficiamini timore, ne regressus vester ad religionem grave vobis sive malum, sive damnum allaturus sit. Recolantur superius dicta §. 1. de infirma valetudine laborantibus, et conscientiam vestram serio consulite.

(1) Gregor. ad episcopum syracusan.

Ast mementote „*quod Deus non irridetur*„(1). Mementote, monasterium esse domum Dei, et non carcerem, non locum illum tenebrosum opertum mortis caligine, in quo homines constituti sensim sine sensu tabescunt.

Longum quidem adhuc vobiscum texere vellem sermonem, fratres mei charissimi, insatiabili flagrans desiderio vestrae salutis, sed hic est ubi desistere statui. Jam vero, ut inde habeat haec qualiscumque oratio mea finem, unde sumpsit exordium, jam animadverti, vobis aliquantum onerosum fuisse verborum meorum acrimonia. Sed recogitate cum Hyeronimo (2), hanc esse veritatis proprietatem, ut saepe in se contineat aliquid mordacis. Et revera quis dulcior, quis blandior D. Bernardo, qui propterea doctoris melliflui nomine decoratus est? Nihilominus, ut audivistis, acriora, et pungentiora quandoque locutus est. Verum non ille ego sum, qui cum Bernardo comparari ausim; quapropter flexis genibus obsecro vos per viscera misericordiae Dei nostri, ut detis veniam misero, et mihi ignoscatis, si forsan vel invitus aliquem vestrum contristaverim ad poenitentiam! Tunc dolor meus in summum gaudium verteretur, et Deo gratias agens canerem cum psalmista confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus .... erraverunt in solitudine, in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt... deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis ... eduxit eos de tenebris, et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

(1) Ad Galat. 6. 7. (2) Epist. 2. ad Eustch.

FINIS.

# INDEX

## EORUM, QUAE IN HOC OPUSCULO CONTINENTUR.



---

NIHILOBSTAT — *Fr. Jos. Palma Pr. G. Gent. O. P. et Cens. Theol.*
IMPRIMATUR — *F. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Magister.*
IMPRIMATUR — *Ant. Piatti Archiep. Trapez. Vicesgerens.*